## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.

Inoltre ti chiediamo di:

+ *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
+ *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
+ *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
+ *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertati di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da `http://books.google.com`

Digitized by Google

7a = 1194

Digitized by Google

FLL
15.506
271.5
D82j
~~123-7c~~
~~146-10 2° 5 to 1 5~~
Digitized by Google

Digitized by Google

15506

# FASTI SOCIETATIS JESU,

Res, & Perſonas memorabiles Ejuſdem Societatis per ſingulos anni dies repræſentantes,

Operâ, & Studiô

*REVERENDI*

P. JOANNIS DREWS,

Societatis JESU,

Prutheno Varmienſis SS. Theologiæ Doctoris concinnati.

*Operis Poſthumi*

## Pars IV.

Pragæ, Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ Collegii Societatis JEſu ad S. Clementem, Annô 1750.

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

# I. OCTOBRIS.

I. ANno 1579. Gregorius XIII. Altare portatile, à Paulo V. Societati conceſſum, ſed à Concilio Tridentino univerſim ſublatum, reſtituit Societati pro Miſſionibus ità, ut in eo licitè valeant ſacrificium celebrare ubique gentium, modò loca, etſi communia, & profana, tuta, & honeſta ſint; & Generalis, vel Provinciales Præpoſiti, judicaverint, illo hic vel ibi utendum eſſe: poſſint quoque fidelibus rite diſpoſitis Sacramentum Euchariſtiæ ibidem miniſtrare. *Bullar. Soc.*

2. In India, annô 1552. ineunte Octobri expeditionem ſuſcepit, in inſulam florentiſſimam Ceilanum, P. Manuel Morales, facta ſpe ipſius Regis



Digitized by Google

convertendi. Sed cùm hoc evanuiſſet; totus labor impenſus eſt excolendis præſidiariis Luſitanis, qui ibidem munita quædam loca tenebant, & naviſſimo cultore planè indigebant. Tribus primis concionibus bonus Pater vix alium tulit fructum, quàm dicteria, & contemptum: ſed cùm nihilominus inſtaret, & infractus urgeret opus ſuum; ea facta eſt animorum commotio, & mox commutatio, ut à prima lucè ad profundam noctem eum diſtinerent confitentes. Princeps inſuper quidam arci Luſitaniæ vicinus, cum uxore, liberis, familia tota, & omni populo luſtralibus aquis tincti ſunt. *Bartol. hiſt. Aſiat. lib. 5. n. 35.*

3. In Tranſylvaniam, annô 1579. urgente Principe Bathoreo, Stephani Regis Poloniæ fratre, ac adnitentibus Pontifice, ipsóque Stephano, expediti ſunt Socii decem, quos hoc die Claudiopolim pro Collegio fundando deduxit Provincialis P. Sunnierus. Nullum prope in tota Tranſylvania templum erat, quod non occupâſſent Ariani,

Digitized by Google

riani, ceteríque ſectarii; ipſe Princeps non niſi domi ſuæ divinis myſteriis intereſſe audebat. Singulari tamen DEI Providentia factum eſt; ut, fruſtra obnitentibus heterodoxis miniſtris, Societas à Nobilitate licèt hæretica, in Provinciali conventu ſit admiſſa, & munia ſua liberè exercere permiſſa. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4. lib. 7. n. 119.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Romæ, annô 1572. ad vitam immortalem, & magnorum meritorum præmia tranſiit S. Franciſcus Borgia, tertius Societatis Præpoſitus Generalis; ſed ſolemnis memoria beatiſſimi obitûs ejus, authoritate Apoſtolica translata eſt primò in 3. Octobr. denique in 10. menſis ejuſdem.

5. Viennæ Auſtriæ, annô 1558. P. Theodoricus Gerardi, Belga. Ea morum ſanctimonia vixit Romæ: ut vir magnus P. Martinus Olavius de eo dixerit: Multas virtutes in multis in Collegio Romano eminere; in Theodorico nullam deſiderari. Morti vicinus,

ad Theodoricum Caniſium, ſibi aſſiſtentem dixit: Concentum audio Angelicum, chariſſime Caniſi, comitare me, concentum Angelicum audio. Ad Socios præclara dixit de Vocationis præſtantia, & adjecit: Si quid igitur contra illam diabolus injiciat, vel menti occurrat; illico abigendum non minùs, quàm ſi contra fidem quid occurrat.

6. Syracuſis in Sicilia, annô 1575. P. Michaël Ochoia, Hiſpanus, dono gratuito curandi morbos inſignis. Uſus eſt hac gratia non ſolùm in Hiſpania, ſed etiam Italia, & in ipſa urbe, ubi à P. Polanco febrim depulit. Utebatur autem plerumque curâ corporum ad curam animorum, ut mens eſſet ſana in corpore ſano. Multùm enim authoritatis illi accrevit ex hoc cœleſti dono: unde, & conciones, & alia Apoſtolica munia multum operabantur fructum in iis, apud quos verſabatur.

7. Coloniæ in Germania annô 1655. P. Adrianus Horn, Germanus. Manè repertus eſt extinctus, cùm pridiè ſanus fuiſſet; dormienti ſimilis, lævâ co-

ro-

ronam DEI-paræ V. geſtans, ut omni nocte ſolebat. Pietas in illo eximia, puritas illibata, comitas ingenii, conciones DEO plenæ, gubernatio ſuavis, provida, nulláque annonæ caritate arctata. In exules peregrinos, qui bellico tumultu è variis ejecti provinciis affluebant, erat amantiſſimè liberalis, victu, veſte, viatico, etiam in re domi anguſta. Aliquando de hujuſmodi peregrinis alendis ſolicitus, vocem audivit internam: ut bene ſperaret. Mox ad locupletem, & ægram virginem evocatus, liberali, & opportuno ſubſidio eſt adjutus. Cæterùm vir tam liberalis, non minùs ſtudioſus erat religioſæ paupertatis. Unde conſuetum ejus erat ad domeſticos acroama: *Quæſo, nè lædamus ſanctam paupertatem.*

## II. OCTOBRIS.

I. INter ceteros hominum Cuſtodes, Angelos ſanctos, quos hodie veneratur Eccleſia, ſpecialiter ille noſtrum meretur amorem, & cultum, cujus protectioni, & directioni univerſa

commiſſa eſt Societas: ut piè credere licet. Non eſſe hunc è grege Angelorum, ſed præcipuis cœli principibus argumento eſt: quod & conſilio, & robore plurimum valere illum oporteat, ut tantis, & hominum, & infernalium poteſtatum machinis, atque inſultibus depellendis, par eſſe poſſit. Ipſi igitur honor, & amor in ſecula.

2. Annô 1568. Romæ primus Procuratorum à Provinciis deputatorum, conventus habitus eſt ſub Præpoſito Generali S. Franciſco Borgia, quovis triennio deinceps iterandus. Quamvis enim, & antè mitterentur ſubinde à Provinciis procuratores, qui de ſtatu illarum, & negotiis informabant Generalem: non tamen ſimul ab omnibus miſſi, conveniebant, nec tempus conveniendi determinatum erat. Munus præcipuum hujuſmodi Procuratorum eſt duplex: diſquirere, ac decernere, an ſit cogenda Congregatio Generalis? deinde informare Generalem de Statu Provinciarum. Dubitatum fuit: an Procurator eligi poſſet ipſe Provincialis?



Digitized by Google

cialis? reſponditque Borgia, non poſſe: ſive ut minùs interturbaretur Provinciarum adminiſtratio, ſive ut incorruptius de neceſſitate cogendæ Congregationis Generalis judicaretur, dum non illi, quorum in manu adminiſtratio eſt, ſed alii judicant. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 4. n. 117.*

3. Ad P. Franciſcum Suarez hoc die, annô 1607. Paulus V. Pont. Max. inſignem dedit epiſtolam, qua illi gratias agit pro miſſo ad ſe egregio volumine, quod ſcripſerat pro tuenda Immunitate Eccleſiaſtiaca, à quibuſdam Politicis infeſtata. *Multùm*, inquit, *in eo* ( libro ) *diligentiæ, ac doctrinæ, nec minus ardoris aſſerendæ Catholicæ veritatis, & divinæ B. Petri tuendæ authoritatis elucet, uſque adeò: ut opus univerſum Theologum eximium exprimat, ac pium. Eſt igitur, cur in Domino gaudeas, & gratias agas Patri luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum. Nobis autem non potuit, niſi gratiſſimum eſſe beneficium, & tale beneficium, apud Eccleſiam ſanctam,*

 *hu-*

*humilitati noſtræ commiſſum, opportunè à te poſitum, &c.* Maffejus in Vita cap. 15.

## *Eodem die obierunt.*

4. In Japonia, in inſula Xiqui, annô 1570. P. Coſmus Turrianus, Hiſpanus, magnus fidei zelator: ſinè pane, vino, lacte, & carnibus vivebat, ſed cœli deliciis affluens paſſim habitus pro Apoſtolo, & amatus ùt Pater. Omuræ regulum baptizavit, & moriens triginta circiter Chriſtianorum millia reliquit.

5. Nangaſachi in Japonia, an. 1633. P. Benedictus Fernandez, Luſitanus, & P. Paulus Saito Japon, odiô fidei interempti ſunt, prono capite pendentes in foveam. P. Paulus ſeptem totos dies tormentum illud toleravit; P. Benedictus paulò citiùs extractus fuit, ut diutiùs torqueri poſſet, ſed brevì in carcere extinctus eſt. Stupentes affirmabant ſatellites, ſe diſtinctè percepiſſe verba, quibus cadavera duorum illorum Patrum, cùm ad rogum deferrentur cremanda, ſe invicem ſalutabant Luſitanâ, & Japonicâ linguâ, eámque felicitatem ſibi gratulabantur. 6. Le-

6. Lerenæ in Hiſpania, annô 1677. P. Franciſcus Pardus, Hiſpanus, ardens, & indefeſſus in Miſſionibus Operarius. Theologicæ Cathedræ admotus propter ingenii excellentiam; nullum fecit finem petendi, donec à Præpoſito Generali impetraret relictis in perpetuum ſcholis Apoſtolico muneri ſeſe impendere. Impendebat autem ſe tanta contentione: ut nec laſſitudo per iter contracta, nec jejunia, & fames, nec morbi graves eum arcere potuerint. Expetebatur certatim ab Epiſcopis, & Archiepiſcopis ad excolendas diæceſes ſuas. Unde funus ejus omnes urbis Eccleſiæ mæſto ære campano celebrârunt, & trium Capitulorum Canonici deduxerunt.

## III. OCTOBRIS.

I. EBoræ in Luſitania, poſtquam Societati Collegium excitavit, & Academiam à ſe inſtitutam eidem plenè conſignavit Henricus Cardinalis Regis frater (poſtea Rex) annô 1567. Templum hodie moliri cœpit, Archiepiſco-

piſcopus ſolemni ritu, magnáque ceremoniâ templi fundamenta auſpicatus eſt, urgente fabricam, & impenſas ſuppeditante Henrico. Ut verò Collegium Academicum juſtam haberet aream, ſanctimoniales ſancti Salvatoris è regione Collegii ſitas ære ſuo aliò tranſtulit. Alit hoc Collegium ordinariè Socios 140. ejus Rector eſt etiam perpetuò Rector Academiæ. *Sacchin. p. 3. hiſt. Soc. lib. 3. n. 212. Sotuell. in bibl. Soc.*

2. Felix fuit hic menſis an. 1564. duorum potentium Regum in India Orientali converſione, apud populos *Celebes* dictos. Cùm Luſitanis navibus excurrerat ad illos P. Magallianes: per legatos enim ad Indiæ Prætorem miſſos, petierant Chriſtianæ doctrinæ magiſtros. Invenit ergo Magallianes animos paratos, imò magna contentione baptiſmum flagitantes. Primus Chriſtianis adjunctus eſt Rex Manadenſis cum mille quingentis è flore ſuorum: reliqui dilati ſunt aliquantiſper. Contigit opportunè, ut Rex Siani, vir inter

inter ſuos juſtitiæ, & prudentiæ ſingularis laude inclytus, hoſpes eſſet apud Manadenſem, qui cùm videret, audirétque, quæ de Legis Chriſtianæ myſteriis proponebantur, & tot Procerum aſſenſu probabantur; non diſtulit ſuavi jugo Chriſti ſubmittere colla, tinctúsque fonte ſacro rediit ad ſuos, multos in Religionis Societatem verbô, & exemplô traxit, támque fortem ſe probavit athletam Chriſti: ut etiam regno exutus, fidus ei adhæreret. *Bart. hiſt. Aſiat. lib. 6. n. 20. & ſeq.*

3. Anno 1582. P. Baptiſta Elianus culturæ Maronitarum inſudans, Memphim in Ægyptum eſt evocatus à Conſule nationis Gallicanæ in illis partibus, ob ſpem rei bene gerendæ pro Eccleſia Catholica apud Cophtos. Adfuit hoc die, Patriarcham opportuno tempore convenit, ac referentem audiit: gentem ſuam reformatione quidem non egere, nec admiſſuram in ritibus, videret tamen Pater: an non in fidei dogmata erroris quidpiam irrepſiſſet. Obſecutus eſt Pater perlibenter, deprehen-

hendítque errores non leves, præſertim ex ſecta Dioſcoriana. Certiorem de omnibus fecit Pontificem Gregorium XIII. ac interdum pervolvendis Cophtorum libris ſe ſe applicuit. *Sacchinus hiſt. Soc. p. 5. lib. 2. n. 62.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Cracoviæ in Polonia, annô 1591. P. Stanislaus Varſevitius, Polonus, obitis ad Turcas legationibus regiis, Senatoria nobilitate, & Præfectura Cancellariæ clarus, Epiſcopatu etiam è Rege oblato, ſed non admiſſo, Romæ cum aliquot è ſua familia in ſocietatem ſe recepit, habuítque S. Stanislaum Koſtkam connovitium. Pro re Catholica, doctrina, concionibus, exemplo magna, & mira geſſit. Denique in arena heroum ſerviendo peſte infectis pretioſam animam pro fratribus poſuit.

5. Neapoli in Italia, annô 1588. Pompejus Capuanus, Italus, Novitius, illuſtriſſimæ familiæ Proregum flos. Cùm nuptias detrectaret, ſubmiſſæ ſunt Veneris pediſſequæ, quæ artibus ſuis caſtiſſi-

ſtiſſimum juvenem emollirent, ac ſubjugarent. Sed ille Sacro quodam furore plenus, proſtibula in fugam conjecit. Callum induxerat genibus aſſiduitate flectendi, & orandi. Cùm apud parentem urgeret, ut Societati nomen dare liceret, tanquam delirus in obſcurum conclave compactus eſt, adhibitíque multi, etiam Religioſi, qui à propoſito juvenem dimoverent, ſed fruſtra. pervicit omnia; ſed illo diu frui Societati non licuit, cœlo maturam virtutem ſibi vendicante.

6. Cracoviæ, annô 1662. Laurentius Chodorowicz, Polonus, Coadjutor, orationis ſtudio, patientia, & charitate excellens. Noctu, cùm medium ſilentium tenerent omnia, in templum ſe recipiebat, & erat pernoctans in oratione uſque ad diluculum. Invertit aliquando lebetem aquâ plenum, eáque dextram tibiam, ac pedem perfudit, ac miſerè ambuſſit. Suſtinuit tamen omnem dolorem toto triduo, nec vulnus inſpexit, nec tibialia detraxit. Triduô elapsô, cùm videret rem ampliùs celari

celari non debere, horrori, ac ſtupori fuit ipſis medicis cruda ejus patientia; præſertim quando tibi alia cum cute, & adhærente carne detracta ſunt. Nemo illum iratum, nemo aliquit laboris detrectantem vidit. Conſumptus eſt flammis charitatis inter obſequia ſtrenua, peſte infectorum.

## IV. OCTOBRIS.

I. ANnô 1568. in India Orientali, ad proferendum Chriſti regnum profectus P. Petrus Maſcarenia, appulit ad inſulam Sanguin. Reperit ibi, & Regem, & populum admodum ſitientes baptiſmi, atque ità dociles: ut intra paucos dies plerique capaces ſe præbuerint fontis divini. Abluti cùm eſſent, mirum in modum exarſerunt amore erga Crucifixum Redemptorem, & in triumphale ipſius ſignum, Crucem. Hanc ut pro dignitate concinnarent: rex cum proceribus dies aliquot per ſylvas oberrantes, proceriſſimam, ſpecioſiſſimámque quæſierunt arborem, quam in Crucem forma-

marent; nec paſſi ſunt operi ſerviles admoveri manus, ſed ſola nobilis juventus arborem dejecit, dedolavit, ac tam affabre elaboravit; ut in omnibus vicinis regnis formoſior non reperiretur. Ut ad locum deſignatum deportaretur, reges duo (nam, & Sinai Rex aderat) ſubjecerunt humeros, unà cum procerum primariis, ubi verò erecta fuit, omnes in genua procubuerunt, & regnantem à ligno DEUM ſupplices adoraverunt. Pari diligentiâ, reverentiâ admotæ manus ad ædem ſacram excitandam. Rex ætate jam provectus, non erubuit ſecurim cædendis arboribus vibrare, regina cum gynecæo vellere herbas, & locum purgare, omnes omnia agere, ut intrà dies paucos ſteterit templum. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 4. n. 265.*

2. In Braſilia, annô 1561. ſolemniſſimus inſtitutus eſt à Patre Grana Provinciali baptiſmus, in pago Boni JESU: baptizati ferè nongenti barbarorum, poſt laborioſam inſtructionem, inſtituta legitima conjugia, totique homi-

homines ad normam diſciplinæ Chriſtianæ formati. *Idem p. 3. lib. 5. n. 288.*

3. Septimancæ in Hiſpania, annô 1554. conſtituta domus Probationis, ſeparata à Collegio, inopinata liberalitate viri Curialis, adeò infenſi Societati; ut nec Jeſuitam videre ſuſtineret. Is erat Joannes Moſchera, homo opulentus, & è primariis; qui repente, quo modo, neſcitur, non ſolùm ſocietati eſt conciliatus, ſed ità devinctus: ut geminа ampla domo ſe exuerit, illíque donaverit utramque. Dicitur ſingularis Patris Borgiæ, Septimancæ tunc commorantis, Humilitas virum ità ſubegiſſe. *Orlandin. hiſt. Soc. p. 1. lib. 4. n. 79.*

## *Eodem die obierunt.*

4. In inſula Mariduque, annô 1625. P. Joannes de las Miſſas, Indus Manilanus. A Mauris, aliiſque barbaris, odiô fidei noſtræ furentibus, glande plumbea trajectus, & capite truncatus eſt. Indè furor verſus in templum, ſacra omnia profanata, in cadaver Patris barbaris

me-

Digitized by Google

modis ſævitum, ex cranio propinatum. Jam ab ipſis religioſæ vitæ rudimentis, de inſigni ejus ſanctimonia opinio invaluit, fertúrque Crucifixus, coram quo orabat, ipſum alloeutus.

5. Vendæ in Livonia, annô 1620. P. Ertmanus Tolgsdorff, Prutenus, Varmienſis, operarius indefeſſus, & Livoniæ Pater, ac Apoſtolus appellatus ab Epiſcopo Ottone Schenking. Relicto Canonicatu Gutſtadienſi, ſe cum monaſterio deſerto, quod Rigæ tenebat, Societati tradidit. Abſolutô Cracoviæ tyrociniô, remiſſus Rigam, totus in animarum ſalutem, & rei Catholicæ reſtaurationem incubuit, adoleſcentes è Pruſſia evocavit, emendicatis ſubſidiis educavit, inſtruxit, Eccleſiis præfecit. Erga rudes, & pauperes ea charitate, & ſubveniendi ſtudio ferebatur: ut non niſi honorificentiſſimis eum nominibus vocitarent, nunc Senem Dominum, nunc Livoniæ Patrem, & Epiſcopum. Etiam in decrepita ætate, diebus feſtis, horas antelucanas confitentibus dabat; indè concionabatur ad Germanos; tum ſup-

Digitized by Google

ſupplicationes, atque alia Parochi munia expediebat; & ſacris operatus, dicebat ad Lothavos: quidquid erat temporis reliquum ad meridiem, iterum expiandis conſcientiis tribuebat. A prandio catechiſmo imbuebat pueros, & rudes, deinde Veſperas decantabat, & ſi opus eſſet, infirmis operam ſuam impendebat, ſtupentibus omnibus, tantum eſſe virium ſeni: ſed eas charitas ſufficiebat. *Ex Tannero.*

6. Cazorlæ in Hiſpania, an. 1596. Dominicus de Onate, Coadjutor Hiſpanus. Secularis adhuc, ex frivolis quibuſdam conjecturis accuſatus, & damnatus, bonis omnibus ſpoliatus, innocens in carcerem eſt conjectus. Primum ibi vitæ religioſæ tyrocinium poſuit vir bonus, cognitáque innocentiâ dimiſſus, putavit mundo non eſſe ampliùs fidendum. In Societate mortem imminentem aſſiduè animo verſabat. Unde rogatus aliquando à Superiore; quid mente tractaret? reſpondit: *Quod me per pedes trahant ad tumulum. & quod ſevera ratio exigetur.* Noctu audire ſibi viſus

viſus has Angeli ſui voces: *Vita brevis eſt, labor exiguus, præmium grande. Præpara te ad reddendam rationem.* Et obiit non imparatus.

## V. OCTOBRIS.

I. PAter Antonius Poſſevinus annô 1581. caduceator inter Moſchum & Regem Poloniæ Stephanum, in hujus caſtra, ad Pleſcoviam poſita, pervenit, poſt negotium cum Moſcho jam tractatum. Rex confeſtim accito Poſſevino, privatímque, & in Senatu auditis, quas afferebat à Moſcho pacis conditionibus, ſuas & ipſe protulit. Et quamvìs non multò abſimiles eſſent prioribus, quas antè propoſuerat, æquiores tamen videri poterant, poſtquam alter jam hoſtis premere cœperat Moſchoviam. Joannes enim Sueciæ Rex Narvam, aliáſque maritimas Livoniæ arces expugnaverat. Miſſo igitur cum his conditionibus, ſuíſque literis ad Ducem Magnum interprete ſuo; Poſſevinus interim operam, & obſequia ſua, tum corporalia, tum ſpiritualia, curando militi Polono in ca-

caſtris addixit, ratus, Religioſam charitatem, & humilitatem non dedecere Pontificium Legatum, ſed reddere venerabiliorem. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 1. n. 137.*

2. Annô 1631. Societati non parum ſplendoris acceſſit, per ingreſſum in eam prænobilis, ac eximii juvenis, Joannis Everardi Nidardi, qui ea diligentia, & felicitate ingenium literis, virtutibus animum applicuit; ut è ſcholis ad aulam ab Auguſtiſſimo Imperatore Ferdinando III. evocatus primùm Sereniſſimæ Filiæ ſuæ Mariæ Annæ, deinde Sereniſſimo Filio Leopoldo datus ſit literarum, ac pietatis Magiſter. In Hiſpaniam poſtea juſſus comitari Sereniſſimam Mariam, tanquam arbiter ejus conſcientiæ, ità illi ſuam probavit prudentiam, & operam, ut expeditum in urbem cum charactere Oratoris Extraordinarii tam ſtudiosè commendârit Clementi IX. & X. Pontificibus: ut ab illo Epiſcopali dignitate, ab iſto ſacrâ purpurâ ex merito ſit ornatus, invitus licèt ac reluctans. *Sotvell. in bibl. Soc.*

Eodem

## *Eodem die obierunt.*

3. Amacuſæ in Japonia, an. 1583. P. Ludovicus Almeida Luſitanus. Celebrem chirurgum cùm ageret in navi Luſitana, excultus exercitiis Spiritualibus, Societatem ingreſſus, mirum in modum profecit in arte ſua, ut nullus eſſet morbus, quem non ſanaret facilè, virtute divina. Sed in animarum cura, & zelo prædicandi Evangelium longè mirabilior fuit, laborum ac dolorum ſemper avidus, & inſatiabilis. Et affluebat illis affatim, à Bonziis non raro quæſitus ad necem, ab idololatris piratis, & ipſis dæmonibus multoties malè mulctatus, aliquando comprehenſus, ſpoliatus, verberibus oneratus, hianti cymbo impoſitus, & mari alto comiſſus, evaſit tamen. Aliàs Cangoximâ ejectus, per annum delituit in tugurio deſerti litoris, ſolis agreſtibus herbis vitam ſuſtentans. Obiit magno cum luctu Eccleſiæ Japonicæ, quam annis 27. mirificè propagavit, & propugnavit.

4. Siracuſis in Sicilia, annô 1590. P. Michaël Lætavallius, Italus, oratione, aſ-

Digitized by Google

aſſiduo pro animabus labore, & mortificatione ſui mirabilis. Etiam morti vicinus, Viaticum ſacrum ſumere noluit, niſi flagellatione de more præmiſſa, prout morbus, & provecta ætas permittebant. Viſus eſt inter orandum, ad tres palmos à terra ſublimis, per annos 40. quibus in Societate vixit, nullam turpem cogitationem paſſus. Morientem DEI-para V. cum S. Michaële aliiſque Angelis inviſit. Poſt mortem, Joſephus Saladinus Antiſtes Syracuſanus, rite inquiri juſſit, in virtutes, & miracula P. Michaëlis, & juratis teſtimoniis firmatas tabulas miſit ad Paulum V. Pont. M. ſupplicando pro illius Beatificatione.

5. Divione in Gallia, annô 1654. P. Nicolaus Conde, Lotharingus æquè zelosſus, ac facundus, totam ferè Galliam concionando peragravit uberrimo fructu. In cubiculo nullum habebat librum præter Sacra Biblia, quæ flexis genibus legebat quotidie: admiranda tamen vi memoriæ, abundabat omnigena eruditione, retinebátque ſinè ſcripto conciones, per plurimos annos habitas.



Digitized by Google

Legum noſtrarum obſervantiſſimus, illi ſingulari affectu, & exercitio afficiebatur, quæ jubet, ut ea libentiùs à nobis ſuſcipiantur officia, in quibus magìs exercetur humilitas, & charitas.

6. Antverpiæ in Belgio, annô 1629. P. Heribertus Roſweidus, Belga. Ab ipſo tyrocinio prodidit, quàm eſſet Sanctis, & Eccleſiæ præſtituturus operam. Cùm enim Philoſophiæ ſtuderet, diebus recreationum ſecedentibus aliis ad amœniora camporum, & hortorum, ipſe ad religioſa cœnobia ſe conferebat, & in bibliothecis obſoletos, manu ſcriptos Codices, præſertim de Sanctorum vitis, ſcrutabatur, & evolvebat, materiam congerens pro vaſtiſſimo opere, quod poſt P. Heriberti fata, Bollandus complexus eſt, & promovit. Edita à viro laborioſiſſimo ſupra 20. Volumina in materia diverſa, recenſet. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## VI. OCTOBRIS.

1. ROmæ, annô 1569. feliciter finitus eſt Conventus Procuratorum



Digitized by Google

ex ſingulis Provinciis deputatorum, qui 2. Octob. inchoatus fuerat. Omnium conſenſu declaratum fuit: Congregationem Generalem non videri cogendam. Optabat illam privato ſenſu Præpoſitus ipſe Borgia; ut in ea exoneraretur munere ſibi impoſito: at aſſiſtentes vetuerunt tentare aliquid, & communis Procuratorum conſenſus de non cogenda, fecit: ut vir ſanctus, & humillimus patienter ferret jugum officii, donec à Domino deponeretur. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. l. 4. n. 124.*

2. Panormi in Sicilia, annô. 1569. occaſione dramatis publicè in ſcenam dandi à ſcholaribus noſtris, coorta eſt, concuſsítque Collegium tempeſtas, ex cauſa leviſſima. Cùm enim drama illud antè biduum privatim ſolùm probandi gratiâ exhiberetur in templo, paucis externis cum Prorege præſentibus, foribúſque templi occluſis, adfuit, & Joannes Bezerra unus è ſacris Quæſitoribus, pulſatíſque foribus admitti voluit. Cuſtos portæ, ratus vel puerorum, vel alicujus de plebe petulan-

lantiam eſſe, nec aperuit, nec proſpexit, quis adeſſet. Bezerra ſui contemptum interpretatus, abiit cum minis, & diris. Ubi dies hic illuxit, jámque frequens nobilitas conſediſſet, ſolus Prorex exſpectaretur, adfuit iterum Bezerra fulmine armatus, vetuítque ſub gravi anathemate drama in publicum dari. Cùm enim de re ſacra eſſet, ſcilicet Diva Virgine, & Martyre Catharina, debere illud primum ſubire cenſuram Quæſitorum ſacrorũ. Quamvìs verò idem drama ante annos aliquot Romæ jam datum eſſet cùm plauſu; nè tamen crabrones acriùs irritaret Rector Collegii Paulus Achilles, detuſit illud ad Bezerram, hic tradidit cenſoribus Theologis; Ab his cùm nihil notatum eſſet inconveniens, ſolíque ipſi in ſole apparere videretur macula una, & altera; tandem communi ceſſit judicio, ſpectator ipſe interfuit, actáque treagœdia eo ſucceſſu, ut quater repetita, & plauſum, & lacrymas obtinuerit ſpectatorum. *Sacchin. Soc. hiſt. p. 3. lib. 5. n. 60.*

## Eodem die obierunt.

3. Bazaini in India Orientali, annô 1551. P. Melchior Conſalvius, Luſitanus, Collegio Bazaini illum S. Xaverius cùm præfeciſſet, multùm ibi rem Chriſtianam Apoſtolicô zelô auxit, multa ſubvertit idola. Quibus rei Chriſtianæ progreſſibus irritati idololatræ obſtinati, venenô propinatô mortem ipſi acceleravêre.

4. Scimonoſci in Japonia, annô 1628. Michaël Xucan, Japon Catecheſis, & concionum aſſiduitate, & vigore, multos è ſuis civibus abduxit à cultu idolorum. Macai ob fidem exul, & indè redux in Japoniam, nihil omiſit, quod fidei propagationi præſtare potuit, inter continua vitæ diſcrimina. Vitam, quam in flammis volebat, terminavit in ærumnis,

5. Romæ annô 1583. Georgius Gilbetus, Anglus, Novitius. Prænobili, & opulento genere ortus in Angliâ, ea morum concinnitate in Academiis,

miis, & Aula regia vixit, ut nihil cultius illo haberetur. Sola Calvini ſecta, cui innutritus erat, flori huic nævum adſperſerat, quem tamen facilè illi abſterſit Robertus Perſonius noſter, adducto ad Eccleſiam Catholicam. Ab eo tempore ità ſe totum impendit promovendæ rei Catholicæ, & juvandis tum Catholicis egentibus, & fluctuantibus, tum operariis Evangelicis, ut non ſolùm proventus omnes bonorum ſuorum, & induſtrias omnes illis impenderit, verùm, & veſtes proprias ſibi non ſemel detraxerit; & relictâ ſponsâ nobiliſſimâ, ſe in famulum addixerit Miſſionariis noſtris, Perſonió, & Campiano. Quo zelo, cùm internecinum hæreticorum odium incurriſſet, & toto regno quæreretur ſolicitiſſimè ad vincula: ſuaſu Perſonii ſe recepit in Galliam, indè Romam, ubi cùm aliquamdiu ſanctô exemplô vixiſſet in Seminario Anglicano, in ſupremo morbo admiſſus ad Societatem, quam pridem ardenter expetierat, vota religioſa emiſit. In morbo, cùm po-



Digitized by Google

tiunculam quandam nauſeabundus reſpueret ſtomachus, cùm Rector Collegii inſinuâſſet, ut amore Obedientiæ illam ſumeret, alacriter hauſit. Inviſenti autem ſe paulò pòſt cuidam Patri, jucundè dixit: *Proh! quanto me, Pater, delibutum gaudio offendis! tu præmium hujus promptæ, qua mihi vim parvam intuli, obedientiæ, ſe mihi ſpectabilem obtulit DEIpara Virgo, ſed fronte quàm ſerena, quàm propitia, & ſuavi! Cùm tamen nuper eadem ſevera mihi apparuiſſet, quòd meo ſenſui paulò pertinacior adhæſiſſem.* Inter cœli delicias unum dolebat, quòd ignava morte in lecto, non cruenta in patibulo, moreretur.

## VII. OCTOBRIS

I. IN conflictu celeberrimo, & acerrimo, inter Chriſtianam, & Turcicam Claſſem ad Echinadas inſulas commiſſo annô 1571. etiam Societas habuit partem ſuam. Non pauci è Sociis diſperſi erant per naves Venetas, & Regis Catholici, qui ante certamen mili-

Digitized by Google

milites, & vectores ad omnem eventum præparabant, & verbis opportunis, & Sacramentorum miniſtratione: in ipſa verò pugna Chriſti Crucifixi prælatô ſignô, ad fortiter agendū pro ipſius gloria, incendebant animos, ſauciis, & moribundis tum corporalia, tum ſpiritualia præſtabant obſequia, & in ipſos moribundos Turcas extendebant charitatem non ſinè lucro, baptizatis quibuſdam in ipſo agone. Partâ victoriâ auctus eſt labor in curandis animis, & corporibus ſauciorum victorum, qui ſubducta in portus opportunos claſſe, uberem charitati Sociorum, præſertim Meſſanenſium præbuerunt materiam. Ex ipſa urbe quoſdam è noſtris, Germani idiomatis peritos, in Siciliam mitti voluit P. Pontifex Pius V. ad opem Germano militi ferendam. *Sacchin. hiſt. Soc. p. lib. 7. n. 38. &c.*

2. In Hiſpania, annô 1561. turbæ graves exagitârunt Viſitatorem, P. Hieronymum Natalem, ſed animum in bona cauſa infractum, non labefactârunt. Placentiam tendenti occurrit è

Societate laicus cum decreto Senatûs regii, quô jubebatur Societas Hiſpanas obſervare leges, de non exportandis ad externa regna pecuniis, vel hominibus, ſive diſcendi, ſive docendi causâ. Mox ſupervenit Frater alius cum literis P. Araozii, & aliorum quorundam, quibus ſignificabant: Aulam varias ob cauſas Societati offenſam eſſe. Vix ingreſsô Palatium, literas Regis exhibuit Prætor, quibus jubebatur intra decimum quintum diem adeſſe in aula. Videbatur hiſtoriæ Jobi pars quædam renovata. At ſicut Jobo, ità Natali, & Societati adfuit Protector DEUS. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 5. n. 36. &c.*

3. Romæ, annô 1699. facta eſt Translatio ſacri Corporis S. P. N. Ignatii, ex altari majori templi Domûs Profeſſæ, ad ipſius propriam Capellam inſigni opere, & pretioſo cultu viſendam. Interfuit Eminentiſſimus Card. Colloredo, ſuppoſuítque unà cum Patribus noſtris primariis, bajulos humeros oneri ſacro. Officiantem, ut ajunt, egit A. R. P. Noſter Thyrſus: in proceſſi-

ceſſione decantatus Hymnus Ambroſianus, *Te DEUM*, *&c.* Ex liter. Rom.

*Eodem die obierunt.*

4. Toleti in Hiſpania, annô 1588. P. Joannes Peralta, Hiſpanus. Quidquid agebat, contendebat, ut id faceret quàm accuratiſſimè, & exquiſitiſſimè. Silentii per omnem vitam erat cuſtos ſeveriſſimus, unde illi multum ſuppetebat temporis ad orandum, & laborandum. Dicebatur, illi, qui cùm Peralta ageret, adhæreſcere pietatem. Villaregii cùm præeſſet, ſecularium quorundam invidiâ, contra quos bona Collegii defenderat, infami notâ apud Superiores aſperſus, & officio exauthoratus, tacuit heroicô ſilentiô, ſed glorioſior effulſit innocentia, calumniarum nube cœlitus diſſipata.

5. Bononiæ in Italia, annô 1630. P. Angelus Orimbellus, Italus, ſuprema charitate Bononienſibus peſte afflictis exhibita, eodem malo ſublatus. Petierat per epiſtolas à Præpoſito Ge-



Digitized by Google

nerali copiam ſibi fieri ejus obſequii, quod interveniente Cardinalis Spada, Gubernatoris Bononieſis authoritate, non ſolùm obtinuit, ſed duplici amplissimo noſocomio excitato juſſus eſt præeſſe. Mirum dictu, quantô gaudiô ibi à Medicis, chirurgiſque, quantô ab ægrorum confeſſariis, ex variis religioſorum Ordinibus ſit exceptus, pro comperta viri prudentia, & charitate. Et reſpondit ipſe cumulatè omnium votis, effecítque inſuper inſtinctu cœleſti motus; ut urbs Bononienſis publicô Decretô in Patronos legerit SS. Ignatium, & Xaverium, quorum præſentiſſimam opem in ea lue extinguenda eſt experta. Ipſe tamen poſt amiſſos in eodem obſequio Socios novem è Societate, opima charitatis victima cecidit. *Ex Tannero.*

6. Pariſiis, annô 1651. P. Jacobus Sirmondus, Gallus, ſtudioſiſſimus Antiquitatis ſcrutator, & illuſtrator. Præter multas Gallicas, Vaticanam bibliothecam planè exhauſit, non minùs Græci, quâm Latini idiomatis peritus.

Ve-

Digitized by Google

Veteres Scriptores 36 recenſet Sotuellus, quos Sirmondus notis doctiſſimis illuſtravit, inſignibus elogiis à Card. Baronio, Jano Gruthero, & aliis doctis honoratus. Edidit præterea aliorum Opuſculorum Decadem; Claudio Aquavivæ Prœpoſito Generali fuit ab Epiſtolis per annos 16. Chriſtianiſſimo Regi Ludovico XIII. à ſacris Confeſſionibus, inter aſſiduos labores vitam nihilominus protraxit ad annum ætatis 93. veletudine adeò vegeta, ut Jejunium Quadrageſimale eodem rigore obſervaverit ſenecio, quo juvenis. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## VIII. OCTOBRIS.

I. VIctoriam Chriſtianæ claſſis ad Echinadas inſulas, annô 1571. reportatam de claſſe Turcica, ut ipſo pugnæ die S. Pio V. Pontifici revelavit DEUS Romæ: ità eandem in Sardinia poſtridie manifeſtavit P. Antonio Boſcho, viro religioſiſſimo. Decumbebat is Saſſari, morbo lethali,

 cùm

Digitized by Google

cùm ecce ingenti perfuſus lætitia, in hæc erupit verba: O mirificam, & planè mirificam, qua cor meum exultat lætitiam! Sciſcitantibus lætitiæ cauſam, qui aderant Patribus; Agamus, inquit, Domino grates de tam præclaro in nos beneficio. O beneficium excellens! Quærentibus rurſus, quodnam intelligeret beneficium, & ſuſpicantibus, nè fortè vi morbi exerraret mente: Magnificam repoſuit, victoriam conſecuta eſt claſſis noſtra de claſſe Turcarum. Agite in gratiarum actionem hymnum Euchariſticum SS. Ambroſii, & Auguſtini decantemus; cœpítque præcinere Sociis alternantibus. Non fuiſſe vanam imaginationem, docuit nuncius poſt dies aliquot allatus. *Sacch. hiſt. Soc. lib. 7. n. 100.*

2. Annô 1574. P. Everardus Mercurianus Præpoſitus Generalis egregiam dedit Inſtructionem ad Superiores Luſitanos de arte gubernandi ſecundùm Societatis ſpiritum. Invaluerat enim ibi auſterior quædam regendi methodus, quâ potiſſimùm Ludovicus Con-

ſal-

ſalvius afflaverat ſuperiores: ut minùs familiares eſſent ſubditis ſuis, & pœnis magìs, quàm benignitate compellerent illos ad legum obſervantiam. Unde fiebat, ut plurimi fluctuarent in Religioſa vocatione, alii penitus deficerent ab illa. Admonitus de his Everardus, imprimis Provincialem conſtituit Emanuelem Rodericium, hominem ingenii mitioris; deinde monita magni ponderis dedit Superioribus, quibus ſibi apud ſubditos ſincerum conciliarent amorem, & authoritatem non tremendam, ſed venerandam. Dat illa *Sacchinus hiſt. Soc. p. 4. lib. 2. n. 85.*

3. Romæ, annô 1699. in Capella nova S. P. N. Ignatii faberrimè elaborata, altare conſecravit Illuſtriſſimus Epiſcopus Vices regens Urbis. Eminet in illo ſtatua S. Patris, magnitudine grandis viri, argentea tota, in habitu Sacerdotali deaurato, gemmíſque pretioſis diſtincto. Capella talis eſt, quam decuit non alibi, præterquam in medio, ſeu centro, & corde Romæ, poni, & orbis oculis ſpectari. *Ex liter. Rom.*

*Eo-*

Digitized by Google

## *Eodem die obierunt.*

4. Nangaſachi in Japonia, annô 1633. P. Joannes Acoſta, Luſitanus. Per annos 29. graviſſimis laboribus, ærumníſque, pro Japonum ſalute perfunctus, tandem comprehenſus, & in ſcrobem è pedibus ſuſpenſus, quarto die curſum victoriæ, atque fortitudinis explevit.

5. Saſſari in Sardinia, annô 1571. P. Antonius Boſchus, Hiſpanus. Societati nomen dedit, quòd crebrior in illa eſſet S. Synaxis uſus. Poſt vitam in ea inſigni religione actam, morti vicinus, in plauſum erupit dicens: *Magnificam victoriam noſtra claſſis confecuta eſt de claſſe Turcarum.* Quare ad agendas DEO gratias omnes invitans, *Te DEUM laudamus*, recitavit cum Sociis, ac biduo pòſt, cœleſtia decantans intravit in gaudium Domini ſui. Nuncius autem poſtea allatus de Victoria ad Echinadas inſulas reportata, prædictionem firmavit.

6. Va-

Digitized by Google

5. Valentiæ in Hiſpania, annô 1579. P. Gaſpar Loarte, Hiſpanus. Vir erat ante initam etiam Societatem doctus, ac probus, & jam tum divinis meditandis quaternas horas tribuens. Genuæ cùm eſſet Rector, vehementer re quapiam angebatur: ſed mœrorem abſterſit, ipſi ſpectabilis factus Chriſtus Crucifixus, qui eum ſolatus dixit: *Bono animo eſto: ego te per omnem vitam non deſeram.* Et promiſſi veritatem dulciſſimè expertus eſt Gaſpar; Orationis tam erat amans, ut etiam æger, eo tempore, quo matutina domi perſolvitur oratio, junctis, & ſublatis in cœlum manibus, orationi incumberet.

## IX. OCTOBRIS.

I. IN India Orientali, annô 1547. formidabilis Acenorum Regis, Mahometani, claſſis improvisò Malacam appulit, Luſitanis urbem, & vitam ereptura. Claſſem conflabant naves 60. præter minores arma, & annonam vehentes. Excenſione facta nocte intempeſta, ſine mora tumultua-

riè

riè urbem aggrediuntur: ſed vigiles, fortéſque nacti præſidarios, & cives, non ſinè clade rejecti ſunt. Ergo in claſſem Luſitanorum, quæ portum tenebat, effuſabile, naves octo concremârunt. Ingens urbem obruit conſternatio, & luctus, ſed commodum evenit, ut Sanctus Indiarum Apoſtolus ibi adeſſet, in quo uno plus ſolatii, & auxilii repererunt afflicti, quàm in mille præſidiariis, ut craſtinus probabit dies, & ipſius vaticinio, precibus, ac lacrymis, glorioſa de hoſte reportata victoria. *Bartol. in vita lib. 2. n. 29.*

2. Græcium in Stiria, annô 1573. pervenerunt Socii 12. duce Magio Provinciali, ad inchoandum Collegium, poſtulatu Sereniſſimi Archiducis Caroli, patris Ferdinandi II. Imperatoris, ad reprimendam, & extirpandam, quæ ibi nimiùm quantum invaluerat, hæreſim. Advocatos ad ſe mira alacritare, & gentis more, porrectâ dexterâ excipiens. Poteſtis, inquit, mihi credere: me deſiderio deſiderâſſe adventum veſtrum. Principio quidem, non

non deerunt vobis difficultates; ſiquidem eritis, velut oves inter lupos: ſed perſuadeatis vobis, me fore vobis Patronum, & Patrem, & omnia. Nec liberaliùs locutus eſt, quàm egit. Collegium optimè inſtructum auxit, ornavítque inſigni Academia, ad quam confluit numeroſiſſima, & nobiliſſima juventus Stiriæ, Carinthiæ, Sclavoniæ, Carnioliæ, Carniæ, Croatiæ, &c. Denique tantis auctum eſt incrementis: ut jam ampliùs, quàm centum, & quadraginta Collegiales in illo alantur. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4. l. 1. n. 72. Sotuell. in bibl. Soc.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Nangaſachi in Japonia, annô 1633. P. Xyſtus Tocuum, & Damianus Fucaye Coadjutor, Japones, odiô fidei, in ſcrobem capite depreſſo ſuſpenſi, occúbuerunt, poſt ſtrenuos labores converſioni civium ſuorum impenſos.

4. Monaſterii in Gallia, annô 1939. P. Balthaſar Belli Gallus. Vir integerrimæ,

mæ, planè religioſæ vitæ, poſtquam Lugduni ante decennium ſtrenuam navavit operam peſte infectis, & victor ex ea arena feliciter evaſit, iterum eandem tentavit aleam apud Monaſterienſes, ſed brevi labore ad palmam pervenit, decimo quinto die atro carbone ictus eſt ſublatus. *Ex Tann.*

5. Romæ, annô 1659. Wenceslaus Kolowrat, Bohemus, Scholaſticus Theologus, genere, & virtute illuſtriſſimus. Acceptô nunciô de venia Societatem ingrediendi, data à Ferdinando III. Imperatore, & illuſtriſſima matre, cui viduæ unicus erat Wenceslaus, exultabundus exclamavit: *Lætatus ſum his, quæ dicta ſunt mihi: in domum Domini ibimus! Quàm dilecta tabernacula tuà Domine virtutum!* Familiæ ſuæ charitatem omnibus, quibus licebat modis, occultare ſtudebat; ſolidæ humilitati, & perfectæ paupertati addictiſſimus. Cùm toto patrimonio ſe exueret, ſuggeſſit quiſpiam poſſe illum cum facili Superiorum venia aliquid in ſuos uſus retinere. Exhorruit, & avertat, inquit, i-

ſtud

ſtud à me Optimus DEUS, qui certè providebit, ut quocunque in Collegio degere me contingat, non deſit mihi fruſtum panni, quô religiosè tegar. Monenti alteri, nè illuſtriſſimæ familiæ ſuæ oculos obſoletiore veſte offenderet, repoſuit B. Aloyſii dilemma, cùm diceret: ſe vel notum eſſe iis, à quibus videretur, vel ignotum. Ignotos nihil ſe morari, tanquam ignotum: notis verò id forè non offendiculo, ſed exemplo. Ægro Wenceslao illuſtris, & conſanguinea matrona edulii quiddam opportuni ſubmiſerat. Rejecit, ceu rem nimis delicatam, dicens: Id genus delicias, Comitem quendam à Kolowrat, qui ipſe jam eſſe deſiiſſet, non verò pauperem religioſum decere. Cùm Societati longè plura dediſſet, quàm quæ ad Fundationem Collegii requiruntur: adduci tamen non potuit, ut Fundatoris honores admitteret. Inſtanter petebat ab amicis orari pro ſe, ut fieret *Magnus Sanctus*. Ceterùm, quamvìs neſciret ſe Sanctum, vixit tamen, & obiit ſanctè.

Cor-

Digitized by Google

Corpus depoſitum ſub tumba S. Aloyſii, prope Joannem Berchmans.

## X. OCTOBRIS.

1. FEſtivitatem magni Servi DEI, S. Franciſci Borgiæ, Præpoſiti Generalis Tertii, celebrat hoc die non solùm Societas, ſed univerſa Chriſti Eccleſia. Suſpicit enim illum ùt abſolutiſſimam eximiæ Sanctitatis Ideam à Divina Providentia propoſitam omnis ſtatûs hominibus. Habent in illo, quam imitentur Principes, curam, & amorem ſubditorum, Aulici fidelitatem, & pietatem, conjuges continentiam conjugalem, Adoleſcentes morum integritatem, Religioſi contemptum mundi, Sacerdotes cultum divinum, Prælati fugam honorum, & humilitatem, omnes denique erga DEUM, & proximum ferventiſſimam charitatem.

2 In India Orientali Aceni, de quibus herì, malacenſis urbis expugnationem proſecuturi, militem hodie eduxerunt iterum in aciem, ſed nihilo meliore fortuna. Tanta enim è belli-

cis

cis tormentis obruti ſunt globorum procellâ; ut nec appropinquare auſi, in ſua ſe navigia recipere ſint adacti. Sed quem in urbem collegerant, in civium quoſdam interceptos effuderunt furorem. Naribus, & auriculis mutilatos, inciſiſque pedum, & manuum nervis, remiſerunt in urbem, cum contumelioſa, imò ſacrilega ad Præfectum epiſtola. Bilem movit Luſitanis Barbarorum arrogantia: ſed vanæ erant ſinè viribus iræ, incenſis navigiis, quibus hoſtem adorirentur. Deliberantibus tamen, quid facto opus eſſet: ſupervenit opportunè Xaverius, & ſententiam rogatus ſinè cunctatione, reſpondit: Nullatenus ferendam eſſe illatam DEO, Regi Luſitano injuriam, eundem properè in hoſtem. Sed quibus navibus? ſubdebat Malacenſis Præfectus Mellus. Vix quatuor reſiduæ ſunt, non tam naves, quàm navium cadavera; numquid has opponemus hoſtilibus ſexaginta? Etſi mille eſſent, reponit Xaverius: quatuor ſufficient illis debellandis, cùm non unius Regis,

ſed

Digitized by Google

ſed DEI potiſſimùm agatur cauſa. His animati milites, mira alacritate conclamare pugnam, nec dubitare de victoria, ſpondente Xaverio. Impigri ergo accingunt ſe omnes, ad reſtaurandas, armandáſque naves, fugítque eà laboris contentio: ut intrà quinqùe dies parata ſteterit quinqne navigiorum claſſis cum una celoce. *Bareol in Vita S. Xaver. lib. 2. n. 30.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Oviedi in Hiſpania, annô 1591. P. Garcias de Alarcon, Hiſpanus. Adoleſcentulus adhuc minori fratri, & ſorori author fuerat, ut Chriſti patientis amore, in menſa id, quod palato magìs arrideret, dimitterent ſignô datô, quod dabat ipſe. Exemplô S. Borgiæ incitatus, Societati adſcribi petiit, in qua Magiſtrum Novitiorum, Rectorem, Provincialem, Viſitatorem, & Aſſiſtentem egit, incredibili animæ ſuæ, & officii curâ. Per plures annos veſperi, nè bolum quidem admiſit: ſub no-

noctis medium ſurgebat ad preces: poſt quas unâ horâ quieſcebat, & ſurgebat cum ceteris ad orandum. Patribus, quos ad mortualem ſuum lectulum mœſtos vidit, dixit: non eſt, quòd vobis mors mea dolori ſit: nunc enim plus habeo ſolatii, quàm unquam habuerim. Mortuus comparuit Valliſoleti cuidam mortem ejus dolenti, dixítque ſe jam in æterna gloria cum bono DEO degere.

4. Cæſarauguſtæ in Hiſpania, annô 1593. P. Honoratus Abella, Hiſpanus. Si fœminas viſere neceſſitas cogeret, fecit id pudiciſſimæ plenus modeſtiæ, & ſede una ſemper inter ſe ac fœminam vacua relicta. Fuêre tamen, quæ ſcelus ipſi obtulerunt, ſed ille vel ſolo vultu verecundiæ pleno procaces refutavit, nec ullius unquam gravioris noxæ reum ſe agnovit.

5. Straubingæ in Germania, annô 1634. poſt 5. Socios in heroicæ charitatis officiis amiſſos, poſtremus contagioſa lue concidit P. Adamus Straub Germanus, multa laude ornatus, tum ob

Digitized by Google

ob virtutem religioſam, tum ob eximiam gubernandi peritiam, qua duas Reſidentias, & tria rexit Collegia. Monachii eandem mortis pretioſæ gloriam conſecuti ſunt Socii 13.

## XI. OCTOBRIS.

I. CElebrata eſt annô 1551. ſub Julio III. Pont. Max. Seſſio XII. in Concilio Tridentino, cui ex Societate interfuerunt miſſi à Pontifice PP. Jacobus Lainius, & Alphonſus Salmeron. Unde à Præſidibus Concilii deſignatum eſt, ut inter Theologos primi dicerent, tanquam Theologi Pontificii, Salmeronem quoque præcederet Lainius. Hic, cùm modeſtiſſimè excuſâſſet, quòd ex Ordinatione Præſidū primus peroraret, ſubjunxit: Cùm in præſente materia, de Venerabili Euchariſtia, non ex ſenſu privato, ſed Sacris Literis ſecundùm communem ſenſum SS. Patrum expoſitis, diſſerendum ſit, nullum ſe Patrem, aut Doctorem allegaturum, quem non ipſe totum à capite ad calcem pervolutâſſet, atq; ex eo teſtimonia de rebus controverſis collegiſſet.

Hæc

Hæc præfatus, duxit in altum diſputationis, produxítque ad firmandam ſententiam ſuam ſex circiter, ac triginta Patres: quos omnes plenè, ac ſolidè legiſſe debuit ſecundùm proteſtationem præmiſſam. Ob quam doctrinæ, ac eruditionis copiam, ingeniíque fœcunditatem cunctis Patribus erat propè miraculo: audiebatúrque avidiſſimè, etiamſi ad tres ferè horas produceret ſermonem. Accidit autem perincommodè: quòd in ea ſtudiorum, ac aliorum laborum contentione verſantem, febris quartana invaſerit: ad quam depellendam, cùm ſeceſſum aliquem, ac dierum aliquot vacationem peteret, non impetravit, maluerúntque Præſides Concilii, ut, quo die febris accideret Lainio, conventus publicus non haberetur, quàm ut ejus præſentiâ, & ſententiâ carerent. *Orlandin. hiſt. Soc. p. 1. lib. 11. n. 36. & ſeqq.*

2. Annô 1667. conſtituit, præcepítque Clemens IX. ut ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, Officium de S. Ignatio Societatis JESU Fun-

datore recitaretur ſub ritu duplici perpetuis temporibus, atque ſub tali ritu celebrandum feſtum apponeretur in Romano Breviario. *Bullar Conſtit.* 11. *Clement. IX.*

## *Eodem die obierunt.*

3. In deſerta inſula Indica, annô 1555. P. Nicolaus Paſqualis, cum P. Andrea Gonzalez, & Alphonſo Lopez. Ibant in Æthiopiam, juventuti, & rei Chriſtianæ operam ibi daturi; ſed navis in arena deſertæ inſulæ hæſit. Præcipui eorum, qui cum illis vehebantur, conſcenſis minoribus ſcaphis, evaſerunt: & quamvìs obnixè Patres invitarent, ut ſecum abirent, maluerunt iſti cum miſera turba, fame peritura, in inſula manere; ut viventibus ſolatio, morientibus auxilio eſſent. Sic poſtquam alii poſt alios fame enecti ceciderunt, occubuerunt, & ipſi alimentorum inopiâ, heroicæ charitatis victimæ.

4. Neapoli in Italia, annô 1579. P. Joannes Pedelongus, Italus. Juris pru-

prudentiſſimus cùm eſſet, videretque innocentem quempiam, contra jus, & fas, damnari ad mortem, crudeli ſeculo nuncium remiſit. Diſtributis in egenos facultatibus Societatem ingreſſus, inter ceteras religioſas dotes, excellebat ſingulari promptitudine, & aſſiduitate pœnitentes juvandi, ità, ut antonomaſticô vocabulô vocaretur, *Pater Confeſſarius*. Religiosè obiit mortem, cujus tempus ſibi, alterique prædixerat.

5. Lomzæ in Polonia, annô 1624. Nicolaus Gruda, Coadjutor, cum Sociis quatuor heroica morte deceſſit in obſequio contagioſa lue afflatorum.

6. Cracoviæ in Polonia, annô 1591. P. Stanislaus Warſevicius. In Germania, quò ſtudiorum causâ miſſus fuerat, Philippo Melanchthone magiſtro uſus, hæreſim aureô porrectam literarum poculô combibit. Redux in patriam puduit eum falſitatis, errati pœnituit. Brunsbergam venit, miratur locum, eúmque ſibi puero in ſomnis olim monſtratum recognoſcens, Societatem cognoſcit, & amplectitur Romæ 24. Nov.

annô 1567. annos 37. natus. Quatuor indè, & viginti annos in Societate ità vixit, ut modeſtiæ, charitatis, obedientiæ, humilitatis, ardoris ad vitia debellanda, & profligandum errorem, exempla poſteris imitanda reliquerit. Primus Collegio Vilnenſi per annos octo præfuit. Lublinenſe Collegium ſexenniô gubernavit. Complures hæreticos è prima Poloniæ nobilitate reduxit in Eccleſiæ ſinum. Nutantem in Suecia, quò miſſus à Gregorio XIII. fuerat, religionem toto quinquennio per ſummum laborem ſuſtentavit. Quo tempore Sigiſmundi Principis, qui poſtea Rex Poloniæ fuit, hujus nominis tertius, pueritiam optima diſciplina, ſanctiſſimíſque inſtitutis formavit. Diem fortunatum, quô vitam in Societate religioſam ſequi decreverat, annuâ memoriâ recolebat: *Omnia ſibi bona veniſſe pariter cum illa dicens.* Annô 1590. Procurator Provinciæ electus, Romam venit. Reverſus Cracoviam, unde morbi publicè graſſantes pleroſque Religioſos viros abegerant, ſumma contentione flagi-

flagitavit, ut ſibi liceret in eadem urbe laborantibus opem ferre. Quod dũ impigrè præſtat, correptus ipſe morbo, charitatis præmium moriendo tulit. Eundem narrant aliquot poſt obitum annis, annô 1604. P. Petro Scargæ graviter ægrotanti ſpectandum ſe dediſſe, auctorémque illi fuiſſe, ut 10. à DEO poſtularet annos, quos poſtea Scarga vixit. *Juvencius fol.* 177.

## XII. OCTOBRIS.

1. ANnô 1657. Alexander VII. Pont. Max. Plenariam conceſſit Indulgentiam omnibus, tam Societatis perſonis, quàm cujuſcunque alterius Ordinis, & Congregationis Regularibus, & aliis quibuslibet Eccleſiaſticis, & laicis, quotieſcunque in domibus Societatis Exercitia Spiritualia S. Ignatii per octidui ſpatium peregerint, & interea temporis verè pœnitentes, & confeſſi, SS. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint. *Bullar. Conſtit.* 44. *Alex. VII.*

2. Molshemii in Alſatia adoleſcens, ope S. Ignatii liberatus eſt à dæmone,

cui ſe tradiderat. Erat is Michaël Ludovicus, nobilis Germanus, à parentibus in Lotharingiam miſſus, ut Gallicam linguam in aula Ducis condiſceret: At enim juvenis præter linguam, mores didicit parum ſanos, inter quos ludendi conſuetudo, & libido impotens illi exitio fuit. Amiſſis foliorum ludo pecuniis anxius, cogitabat, quomodo alias etiam à dæmone acquirere poſſet. Adfuit repente dæmon ſub ſpecie elegantis juvenis, promiſitque argenti, quantum vellet; nec diſtulit promiſſa: tantum illico argenti obtruſit, quantū ſufficeret ad ludum reſtaurandum. Rediit ad Socios Michaël, repetit ludum, & amiſſos recuperat nummos, imò collegas exhaurit ſuis. Placuit miſero ea fortuna, nec dubitavit ad illam conſervandam dæmoni ſe tradere, exaratâ ſanguine ſuo ſyngraphâ geminâ, ſub conditione vitæ in ſeptennium prorogandæ. Indè in omne nefas effuſus, jam denique propè aberat à fine ſeptennii. Interim propitiô oculô reſpicitur à miſericordia Divina; innoteſcit matri, quod

quod actum fuerat; quæ, licèt hæretica, cùm in Synagoga ſua nihil inveniret remedii, Religioſis quibuſdam filium tradidit curandum. Sed ille ab ipſis fugâ ſe expedivit. Captus tamen à fratre Canonico Herbipolenſi, ducitur Molshemium, ubi S. Ignatius plurimis inclaruerat miraculis, Patribúſque noſtris committitur. Laboratum diu, multúmque, donec hoc die ad invocationem ardentem S. Ignatii adactus eſt dæmon, ſub ſpecie deformiſſimæ, ac grandis ciconiæ comparens, ſyngrapham reddere utramque. *Bartolus in vita S. Ign. lib. 5. n. 57.* Simile traditum ſupra 13. Januarii.

## *Eodem die obierunt.*

3. Madriti in Hiſpania, annô 1600. P. Ludovicus Molina, Hiſpanus, magnum nomen inter Recentiores Theologos, & multis machinis impugnatum, ſed non everſum, decernente tandem Paulo V. annô 1606. Ut omnis doctrina Molinæ indemnis perſiſteret. Præ-

ter doctos in primam partem D. Thomæ Commentarios, & invictam Gratiæ, & Liberi arbitrii Concordiam, quæ lapis offenſionis fuit, edidit Tomos 6. de jure, & juſtitia, tanta juris Civilis comprehenſione: ut mirum omnino ſit, hominem, qui in Theologicis ſtudiis vitam conſumpſit, tantam conſecutum fuiſſe Juris ſcientiam. Nec minor fuit Molina religioſa virtute, quàm excellentiâ doctrinæ. Etiam in provecta ultra ſexageſimum annum ætate, atque in continuo lucubrandi ſtudio, paſſus non eſt, aliquid ſibi dari ultra communem victum, & amictum. Breviario utebatur tam attrito: ut minores horæ in illo vix legi poſſent. Ad communia domûs munia non minùs promptus provolabat, quàm quivis accurratiſſimus tyro.

4. Ingolſtadii in Germania, annô 1618. P. Jacobus Rhem, Germanus. Integra illi ſemper virginitas, quam cuſtodiebat ſeverâ oculorum modeſtiâ, & corporis mortificatione. DEI-paræ cultui addictiſſimus, inſtituit Sodalitatem



Digitized by Google

tem *Colloquii Mariani*, in qua juvenes de Virgine DEI-para instituerent pias Collationes. In Sacello ejus Sodalitatis, cùm inceſſiſſet eum cupido noſcendi, quis titulus Virgini gratiſſimus eſſet? canente choro Litanias Lauretanas didicit cœlitus à DEI Matre ſibi ſpectabili, præ aliis placere titulum *Matris admirabilis*. Hunc ergo tertiò repeti juſſit. Inter ſacrificandum viſus eſt non ſemel ſublimis à terra; & ſæpius abſentia dixit, futura prædixit.

5. In America Mexicana, annô 1637. P. Joannes Ledeſma, Americanus. Inter Theologos ità inclaruit, ut à Senatu regio, ſacra inquiſitione, Præſulibus, adeóque ab ipſa Hiſpania, Peruvia, & Sinis conſuleretur, & ab ipſo Profeſſore, cùm ejuſdem eſſet Collega in Cathedra Theologica, inter alios authores citaretur. Cùm grandævus regeret Seminarium Mexicanum, omnia ad ædem ſacram pertinentia adminiſtrabat per ſe, altaria mundabat, & veſtiebat, pavimentum verrebat, candelas etiam publicè, accendebat, &



Digitized by Google

abſtergebat, &c. paſsimque ſe vocabat S. Gregorii æditum. Erga Indos mirando ferebatur affectu: illos erudiebat, paſcebat, & viribus totis defendebat. Cùm Mexicum eluvione aquarum vaſtaretur, ipſe jejunus miſeris Indis conquiſitam annonam cymbâ advehebat; quod charitatis officium toto triennio, vaſtante urbem lue, continuavit. Mortuo Clerus Metropolitanus totus, Religioſi omnes, & Senatus univerſus ſolemniter parentârunt. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XIII. OCTOBRIS.

I. ANnô 1537. ſcripta eſt Venetiis ſententia Vicarii Apoſtolici, pro S. Ignatio, qua contra omnes detractores, & falſos rumores, declaratur eſſe Sacerdos bonæ, ac Religioſæ vitæ, doctrinæ ſanæ, & qui in civitate Venetiarum multa eximiæ probitatis exempla dederit. *Nadaſi in Indice Memor.*

2. Annô 1534. auſpicatiſſimè electus eſt in ſummum Pontificem Paulus III, eodem planè anno, quô Henricus

VIII.

VIII. rex Angliæ excitatò ſchiſmate Angliam avulſit ab Eccleſia Romana, & fide orthodoxa; quóve Pariſiis jacta ſunt prima Societatis fundamenta, emiſſis à primis Patribus votis in monte Martyrum, feſto aſſumptæ in cœlos Virginis DEIparæ. Nimirum emergentibus malis providit confeſtim Divina Bonitas opportuna remedia, & viros, qui Eccleſiæ ſubvenirent æquè intrepidi, ac validi, & Vicarium ſuum, qui ſapienter, & gratiosè approbaret, firmaret, ac formaret Ordinem naſcentem. Fuit Paulus magnus Inſtituti Societatis æſtimator, ſempérque illam paterno fovit affectu, & Privilegiis non paucis. *Orlandin. hiſt. Soc. p. 1. l. 1. n. 93.*

3. Annô 1584. Gregorius XIII. per Conſtitutionem *Exponi nobis, &c.* ſtatuit: nulli è Societate licere deinceps ad Carthuſiam ſecundò tranſire, niſi de licentia Præpoſiti Generalis. *Bullar. Soc.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Romæ annô 1574. P. Sebaſtianus Romæus, Italus. Præfuit annis unde-

viginti Romano Collegio inſigni prudentia, & animi ſubmiſſione; eóque S. P. Ignatio apprimè charus. Quamvìs plurimis diſtentus curis, non tamen exonerari volebat, ſed alios ex aliis labores quærebat, dicere ſolitus: *Eos qui, ſunt de Societate, nunquam niſi ægros quieſcere debere.* Unde P. Julio Mancinello poſt mortem viſus eſt ſub albo conopæo, in lectulo longè ornatiſſimo, ſymbolo quietis, quam poſt perpetuos labores conſecutus eſt in beata æternitate.

5. Hui in Belgio, annô 1653. Magiſter Philippus Franciſcus Pennant, Belga. Sex menſibus Paralyſi lecto affixus, uſúque manuum, ac pedum deſtitutus cum jaceret: DEIpara V. impenſiùs ab eo implorata, per quietem ſe illi ſpectandam obtulit cum Filio parvulo in ſinu, ſtipantibus latera, hinc S. Franciſco Xaverio, indè P. Maſtrillo, didicítque ab ipſâ, ſanitatem ſibi à Xaverio conferendam. Allatam S. Xaverii, Maſtrillum ſanantis, imaginem, ubi manibus paralyticis attigit, repente illas movit, & ſenſim convaleſcens, ad S. Xave-

ve-

verii feſtum plenè convaluit. Verùm cùm id alii aliò traherent; iterum relapſus in morbum, præmiſſis precibus iterum ejuſdem S. Xaverii imaginem affectis partibus admovit, & confeſtim vim, & vigorem in illis recepit. Gratus pro beneficio, ſemper Xaverianam illam imaginem de collo geſtavit.

6. Zagrabiæ in Hungaria, annô 1621. P. Alexander Dobokay Hungarus. In catalogo beneficiorum à DEO acceptorum poſuit & illud: quòd adhuc ſecularis poſt ſacram Comunionem audiverit in aurem dexteram illapſa ſibi hæc verba: *Ingredere Societatem*. In Societate ſupra caput concionantis Patris Alexandri die Natali Chriſti Domini vidit vir nobilis ſplendorem quendam inſtar orbis lucidi. Mirum in eo fuit, quòd in diuturna,& varia gubernatione neminem acerbiùs reprehenderit; quamvìs pro tuenda diſciplina religioſa gravis eſſet, & ſeverus. Orationi tanto fervore intentus fuit: ut etiam ſublimem à terra nonnemo viderit.

XIV.

# XIV. OCTOBRIS.

I. SAnctus Indiarum Apoſtolus, Xaverius, dum totis viribus, multíſque promiſſis urget, quantocyus expediri à Luſitanis Malacenſibus claſſem contra Acenos: ut majores faceret animos militibus, quorum non magnus erat manipulus (centum, & octoginta in eam expeditionem deſignati numerabantur) palàm profitebatur: ſe ipſum cum claſſe iturum, cùm non regis tantùm, ſed potiſſimùm violati honoris Divini cauſa agatur. Et milites quidem hoc erecti promiſſo, jam victoriam tanquam certam canebant, non neſcii, unum Xaverium adversùs furentium Badagarum ampliſſimas copias nuper pro exercitu integro fuiſſe. At cives tam pertinaces obſtabant, ut minarentur ablato Xaverio, ſe in alias oras ſeceſſuros, urbe direptioni hoſtium relicta. Poſt multam altercationem civitati adjudicatus eſt Xaverius: ut civibus ſolatio, & præſidio eſſet; milites verò ad pugnam profectos, orationibus ſuis eminus juvaret. Sic direm-

rempta lis eſt, & utriſque periclitantibus præſtò fuit vir Sanctus. *Bartol. in Vita lib. 2. num. 30.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Toloſæ in Gallia, annô 1621. P. Guilielmus Treboſius, Gallus. Miniſter Collegii cùm eſſet, ſumma charitate providebat, nè quid Sociis deeſſet, & nè ipſi legibus deeſſent. Si quis legi de verrendo cubiculo non ſatisfeciſſet, ipſe illud abſente illo verrebat, purgamentis ad januam relictis, ut adverteret ſe moneri. In Miſſionibus longinquis, & arduis magno labore verſatus eſt, parciſſima utens refectione, verberatione ſui largiſſima. Pro ſalute viri nobilis, paulò ante mortem vovit geſtationem cilicii per hebdomadam cum cruenta ſui flagellatione. Quod quamvìs exequi, morbo impeditus, non potuerit, obtinuit tamen, quod optavit.

3. Ulyſſipone in Luſitania, annô 1639. Hieronymus de Sylva Coadjutor, Luſitanus, vir eximiæ probitatis, & obſervantiæ diſciplinæ religioſæ. Hic ipſe

pſe eſt, qui Venerabilem Patrem Franciſcum Suarium non ſemel in mentis exceſſu, & divino lumine illuſtratum vidit, atque ab eo vitâ jam functo, in deſerto ſacello Euchariſticô epulô eſt refectus. Cùm enim à P. Rectore in itineris ſocium aſſumptus, præeunte in equo Rectore, ipſe feſto die Præſentationis DEIparæ V. divertiſſet ad Oratorium quoddam deſertum, doleretque ſe Ven. Euchariſtiâ, ut ſemper eo die conſueverat, refici non poſſe, vidit prodeuntem ad ſe P. Franciſcum, præferentem in læva auratam pyxidem, audivitque dicentem: ſe illius reficiendi causâ divina voluntate miſſum, ſimúlque promptum è pyxide divinum orbiculum famelico porrexit. Aſſecutus deinde Rectorem, cùm domum rediiſſent, accepit P. Rector epiſtolam à quadam Sanctimoniali S. Claræ ſcriptam, quâ totum referebatur, quod cum Fratre Hieronymo actum eſſet.

## XV. OCTOBRIS.

I. FEſtum Sanctiſſimæ Virginis, & Matris Thereſiæ admonet nos ſingularis

laris erga illam obſervantiæ, & cultûs, ob eximiam Societatis æſtimationem, imò laudem uſque ad invidiam, ùt patet tum aliunde, tum ex libro vitæ propriæ, quem ſua manu conſcripſit. Inter cetera c. 23. erumpit in DEI laudem: *Laudatus ſit Dominus; quòd mihi gratiam dederit obediendi meis Confeſſariis, quamvìs imperfectè: qui quaſi ſemper fuerunt iſti benedicti homines Societatis JESU, &c.* Et paulò ſuperiùs: *Fuit propter majus bonum meum, ut ego cognoſcerem, & tractarem cum gente adeò ſancta, qualis eſt Societas JESU.* Cap. 38. ſcribit ſe vidiſſe in cœlo Noſtros alba vexilla præferentes. *De aliquibus Religioſis*, inquit, *unius certi Ordinis, & de toto ordine ſimul, vidi magnas res: vidi illos in cœlo cum vexillis albis in manu aliquoties, & alias res ſimiles magnæ admirationis: propter quod habeo dictum Ordinem in magna veneratione, &c.* Quòd per hunc Ordinem intellexerit, & indicârit Sanctam Societatem JESU verbis expreſſis in Originali Vitæ à ſe conſcriptæ, teſtatur non ſolùm Confeſſarius ejus, & Scriptor Vitæ, P. Franciſ-

ciſcus Ribera, ſed etiam Sanctius de Avila, Epiſcopus Seguntinus ipſius & ipſe Confeſſarius. Plura videri poſſunt apud Lancicium *Tom. 1. pag. 81.* & *apud Gomez in Elog. Soc. part. 1. Claſſ. 7.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Ciliæ in Styria, annô 1646. P. Paulus Cyrianus, Ungarus, inter alios 26. Socios per Provinciam Auſtriæ ſublatos, in obſequio peſtiferorum exſtinctus. Graſſante in oppido illo peſte, nec ullo comparente, qui miſerorum curam in ſpiritualibus ſuſciperet, eam ſibi ſpartam ardentiſſimô ſtudiô depoſcit P. Paulus, Græcii tunc degens. Sed oppidanos, quibus Societas non ſatis cognita fuit, ità deprehendit à ſe alienos: ut nec hoſpitio eum dignati ſint, nec cruſtam panis, niſi ab ipſis peſtiferis impetrare potuerit. Sed his non motus Pater, domum occupavit, quam peſtis ſublatis omnibus inquilinis, paulò antè vacuaverat, omni ad vitam tuendam ſubſidio deſtitutam, cœpítque indè veſtigare ægros, ultro ſe in domos ingerere,

rere, diu noctúque montes, & valles percurrere, concionibus, & exhortationibus tum ſuum inſtitutum, tum civiũ ſpirituale periculũ inculcare: effecítq; tandem hac Apoſtolica contentione, ut alios de eo ſenſus conciperent indigenæ, & quem averſati fuerant, ſtudiosè prenſarent. Sed bonô ſeriùs agnitô, diu illis frui non licuit, ſublato paulò pòſt eadem lue ipſo P. Paulo. *Ex Alegambe Victimis.*

I. In Inſulis Philippinis, annô 1650. P. Franciſcus Puche, Hiſpanus. Arduas Miſſiones ſibi depoſcebat, veſtes ejus intimæ meri centones erant. Ægrum ſenecionem alicubi inventum, ad ſuum conclave deportavit, ſua illum veſte contexit, cibô refecit, in fide inſtruxit, baptiſmô expiavit, & paulò pòſt morientem in cœlum expedivit, mirè lætus hujus animæ lucrô: veſte verò, qua ſenem contexerat, non niſi feſtis diebus utebatur. Accurrit aliquandò manè ad Collegium noſtrum, loci illius Decanus, moniturus noſtros de flammis, quæ è domo noſtra videbantur erumpere. Facta

om-

omni diligentia nihil aliud deprehenſum, quàm quòd eo tempore P. Franciſcus inter ardentiſſima ſuſpiria acriter ſe diverberaret.

4. Lugduni in Gallia, annô 1628. P. Ignatius Pomponius, Gallus, glorioſa morte cum Sociis 9. occubuit, qui capita ſua pro peſte afflatorum ſalute devoverant. Anno ſequente non ignobiliore morte proſtrati ſunt unus, & viginti, in diverſis locis Provinciæ Lugdunenſis. Extra hanc provinciam in Gallia tredecim. Feracior glorioſorum funerum, & coronarum fuit in Gallia annus 1630. quo ſublati ſunt unus ſupra viginti.

## XVI. OCTOBRIS.

I. INopinatus caſus ferè diſturbavit expeditionem, quam Malacæ S. Xaverius magno labore promovebat contra Acenos Mahometanos. Jam claſſis navium quinque ſtabat in procinctu, miles non multus, ſed alacer, & fortis ardebat ad prælium; effuſa in portum cum præfecto civitas, calentibus votis,
&

& lacrymis iter felix precabantur, Xaverius in æde DEIparæ de Monte Superos, ut ſecundarent, fatigabat; & jam ſublatis anchoris ibant in altum, cùm repente in oculis omnium ( ô abyſſum judiciorum divinorum! ) navis Prætoria ſcopulis impacta, diſſolvitur, & profundo ſorbetur. Oritur clamor, & periclitantium, & ſpectantium, accurritur undique ad juvandos naufragos, è quibus nemo quidem periit, ſed conſternati omnes accuſabant temeritatem ſuam, quòd tantillis copiis expeditionem tantam ſuſcepiſſent, utique contra voluntatem DEI, ut ipſi ex hoc eventu ariolabantur. Nec parcebant, mobilis vulgi linguæ vel Præfecto urbis, vel Xaverio, jámque ſermones in ſeditionem ibant. Mittit ergo Præfectus Mellus hominem, qui Xaverium accerſat quantocyus ad ſedandum tumultum. Faciebat ille tunc rem Divinam, jámq; ex DEO cognoverat, quid ageretur. Poſt ſacrificium, antequam nuncius exponeret deſideria Præfecti, jubet illum redire ad herum, atque monere, ut bo-

bonô eſſet animô, DEUM non defuturum cauſæ ſuæ. Ipſe interea coram icone Virginis Matris proſtratus, multa prece, & lacrymis rem agebat nunc cum Filiō, nunc cum Matre, ut afflictis propitios ſe præſtarent. Poſt hæc deſcendit ad mare, Præfectum animat, populum oratione opportuna demulcet, jubétque ſperare meliora. Itur ergo iterum in conſilium, cives obſtinatè damnant expeditionem, milites videntes, Martem ſpirare Xaverium, poſcunt illam, quos firmat Xaverius luculentô vaticiniô, de adfuturis eodem die duabus navibus ante ſolis occaſum, quibus claſſis eſſet augenda. Suſpenſis in hunc eventum animis omnium, cùm horâ ante ſolis occubitum illæ advenisſent; incredibile eſt, quantâ lætitiâ urbem impleverint, quot indè Xaverio factæ ſint gratulationes, applauſus, amplexus. Decernitur ergo iterum expeditio, ſed non una adhuc difficultate impedienda, ut clariùs appareret felicem ejus exitum non civitati diſſolutæ, & per-

pervicaci, ſed meritis Xaverii datum. *Bartol. in Vita lib. 2. num. 31. & ſeqq.*

*Eodem die obierunt.*

2. In ſylva Trevirenſi, annô 1588. Richardus Biler, Joannes Soppius, Novitii, Germani, ab hæreticis pro eo, quo in Jeſuitas feruntur odio, trucidati. Corpora nudata feris objecta, ſed poſt dies aliquot ab ipſis illæſa reperta, licèt graſſantibus eo loci agminibus luporum.

3. Duaci in Belgio, annô 1652. P. Martinus l' Hermite, Belga, orandi, & ſe affligendi ſtudiô inſignis. Quamvis omnis ejus ferveret oratio, in illa tamen, quam pro injurioſis in ſe fundebat, vel maximè exardeſcebat ignis. Calumniam enim aliquam, vel aliud mali à malevolis paſſus, illico ſe recipiebat in cubiculum, & proſtratus ad pedes Crucifixi, ardenter ingeminabat: *Domine dimitte illis, non enim ſciunt, quid faciunt. Per viſcera, per vulnera tua, nè tribuas illis hoc peccatum.* Ità orantem tam liquida voluptate perfundebat DEUS, ut nihil ei jucundius eſſet, quàm atro-

Digitized by Google

àtrocem aliquam calumniam pati. Nihil erat tam arduum, aut odio vel invidiæ obnoxium, quod à ſuperioribus ſibi commiſſum, citra ullum humani oculi metum obedienter non perfecerit. Majoribus feſtis occurrentibus palàm in triclinio ſe cædebat. Viſus eſt aliquando Armenteriæ inter jacentium ſub dio militum ægrorum acervos, per diem integrum reptare ad capita ſingulorum, atque eos expiare, & ſolari.

4. Crumlovii in Bohemia, annô. 1625. P. Joannes Janus, Germanus opima charitatis victima cecidit; poſtquam, & miro ardore ſe peſtiferorum curæ devóvit, & ea dedit zeli ſui ſpecimina, ut cùm deductum, noctu terræ mandare vellet Rector, Magiſtratus ſe interpoſuerit, atque clara die, inſigníque pompa funus deduxerit, cui viri Senatorii humeros ſuppoſuerunt, adhibitis funalibus, & ſolemni Eccleſiaſticorum comitatu.

## XVII. OCTOBRIS.

I. ANnô 1600. gravem dedit æpi-

Digitized by Google

epiſtolam Valliſoleti Doctor Joannes Garcia Coronel, primarius in Academia Valliſoletana Theologiæ Profeſſor, Romam ad P. Joannem Bapt. Plumbinum Procuratorem Generalem Auguſtinianorum, pro doctrina Molinæ de Auxiliis Gratiæ; & contra Prædeterminationes phyſicas. Exponit ibi diſertè, quomodo ferè omnibus doctis per Hiſpaniam ſuſpectæ ſint,& inviſæ Prædeterminationes illæ; Librum autem a Molinæ audierit ſummis encomijs efferri. Certè: inquit, quæ contra illam (Molinæ doctrinam) objiciuntur, non multi ponderis ſunt, & facilè ſolvuntur. Authoritas virorum, qui contradicunt, me moveret, nisì ſatìs animadverterem: his particulares reſpectus miſceri, quos penetrare non eſt difficile, &c. *Eleuther hiſt. de Auxil. lib. 2. cap. 13.*

2. In Belgio Duacenum Collegium gravis involvit hæreticæ plebis tumultus annô 1578. Circa decimam diei horam cum vexillo, & tympano inſana colluvies accurrit ad Collegium, atque

edictum promulgat, ut Socii omnes, confeſtim urbe excedant. Quærenti Rectori: cujus imperio hæc gererentur? reſpondent: Populi. Poſcenti: quid cauſæ eſſet? reponunt: ſic viſum plebi. Atqui Magiſtratum adibimus, inquit Rector; at illi: penes ſe auctoritatem Senatûs eſſe; proinde maturarent egreſſum, aliàs ignominiosè ejiciendi. Cedendum ergo fuit furentibus; dimiſſæ ſcholæ, diſceſſum inter armatas cohortes, & plauſtra conviciorum, proſequentibus magnô numerô diſcipulis, & civibus honeſtioribus. Aquicintum ſe receperunt noſtri; eò ſtatim Senatus, & Academici Thomam Stapletonium, Theologiæ Profeſſorem, communi nomine ablegârunt, rogantes, nè longiùs abeant; ſperare enim ſe, ubi impetus populi reſederit, actutum revocandos. Nec aliter evenit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4. lib. 6. n. 144. &c.*

Eo-

*Eodem die obierunt.*

3. Nangaſachi in Japonia, an. 1637. P. Marcellus Franciſcus Maſtrillus, Italus. Admiranda utebatur familiaritate cum S. Franciſco Xaverio, à quo in extremo vitæ periculo, illuſtri miraculo ſanatus fuit, atque juſſus Indorum ſaluti ſe devovere. Vir innocentiſſimæ vitæ, incredibili ardens deſiderio fundendi pro Chriſto ſanguinem, multíſque à DEI-para V. Sancto Euſtachio, aliíſq; Sanctis ornatus gratiis. In Japonico itinere, multa, & egit mira, & prædixit vera. Vix Japoniam ſolicitè quæſitam attigerat, cùm captus à barbaris, viſus eſt toto capite collucere, & inter orandum in carcere, conſpectus in ſplendoribus Sanctorum, & à terra ſublimis. Aquis primùm infuſis, & violentè expreſſis, deinde candentibus inſtrumentis cruciatus, in foveam demiſſus eſt, Japonico more capite deorſum verſo. Cùm quarto jam die adhuc eſſet ſuperſtes, extractus indè, gladio ſubjectus eſt; ſed non niſi tertio ictu caput avulſum, ingeminanti JESUM, & MARIAM. Mox

à morte, compluribus in Europa conſpectus eſt glorioſus, varióſque variis laborantes morbis adjuvit.

4. Granatæ in Hiſpania, annô 1556. P. Alphonſus, ſeu Baſilius, de Avila, Hiſpanus, concionator verbo, & opere potens. Conciones ejus dicebantur Tuba divina, tonitru, ignis, fulmen cœleſte; nunquam enim aſcendebat cathedram, nisi cruenta flagellatione in ſe excitâſſet flammam charitatis. Et tamen rogatus in extremis, ut aliquid diceret pro ædificatione Sociorum, dixit: Utinam, Patres, lingua hæc, quæ Eccleſiaſtæ munus obiit, in culina potiùs fuiſſet lacernula ad lebetes defricandos, & abſtergendos! Iniquos quoſdam Judices, qui religioſum Sacerdotem publicô ſuppliciô affecerant, palàm die Dominico pro concione citavit ad tribunal Judicis vivorum, & mortuorum, ubi ſe quoque compariturum dixit; futurum autem, ut, quem hìc audire noluerint monitorem, ibi ſint habituri Fiſcalem. Poſt paucos dies religiosè deceſſit P. Baſilius, eadémque nocte exſtinctus eſt

feralis

Digitized by Google

feralis ſententiæ author, quem alter quoque brevì ſecutus eſt; familia utriuſque ad ſtipem corrogandam redacta.

5. Calliſii in Polonia, annô 1605. P. Joannes Cnapius, Polonus, ſancta heroum Charitatis morte defunctus in obſequio peſtiferorum, vir exquiſitus in religioſa diſciplina, & animarum zelo flagrans.

## XVI. OCTOBRIS.

I. ULyſſipone in Luſitania, annô 1553. in Collegio noſtro S. Antonii apertæ ſunt ſcholæ publicæ, Rege promovente, & urbe petente. Quinque primùm Claſſes inferiores cum Theologia Morali patuerunt, tanto diſcipulorum concurſu, ut in ipſa illa Theologia, quæ minùs numeroſa eſſe ſolet, quadringenti numerarentur Auditores. Alias claſſes, præter numerum, & alacritatem diſcentium, egregiè ornavit excellentia Profeſſorum, Cypriani Suarii, & Emmanuelis Alvari: quorum alter Rhetoricam, alter Grammaticam præclaris illuſtravit monumentis, quorum etiamnum fructuoſiſſi-

ſiſſimus in ſcholis uſus eſt. *Orland. hiſt. Soc. p. 1. lib. 13. num. 53.*

2. In Japonia primam expeditionem in regiam urbem Meacum ſuſcepit annô 1559. 8. Septemb. P. Gaſpar Villela, ſed obſtaculis, periculíſque impeditam; ut ægrè hoc die Sacajum tenuerit. Jam repentinâ malaciâ in medio curſu defigebant navim aërei ſpiritus, regno ſuo timentes; jam horribili tempeſtate obruebant, omniáque movebant; ut vel perderent, vel averterent Evangelii præcones. Fuit, quando velis pleniſſimis volans navis repente conſtitit immobilis. Ergo Ethnici circumire vectores, & ſtipem viritim exigere, qua ventum emerent ab idolis ſuis. Cùmque ad Villelam veniſſent, contenderéntque, ut ipſe quoque ſymbolam conferret, negavit ille, docens, non ab alio, quàm à Conditore cœli, & terræ DEO ſperandam, petendámque opem. Illico conclamatur: ipſum infortunii eſſe cauſam, parúmque abfuit, quin præceps in mare ageretur, niſì DEUS opportunô ventô navim ſol-

Digitized by Google

ſolviſſet. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 3. n. 164. &c.*

*Eodem die obierunt.*

3. Goæ in India Orientali, annô 1553. P. Gaſpar Barzeus, Belga, vir verè Apoſtolicus, S. Xaverii diſcipulus in prædicando Evangelio, & laborum æmulus, ſemper ab illo magni habitus. Laborum tantum ſuſtinuit, quantum denis operariis non ignavis onerandis ſufficeret. Mira egit pro re Chriſtiana, præſertim in emporio Ormuſienſi. Inter extrema pericula intrepidus, ſentiebat ſe omnia poſſe in eo, qui imbecillitatem ſuam confortabat. Plura, eáque mira dat ejus vita.

5. Urgellæ in Hiſpania, annô 1605. P. Joannes Ricus, Hiſpanus, Eccleſiaſtes egregius; ſed cùm Majoricæ Rector, præter morem ibi concionaretur idiomate Caſtellano elegantiore, Alphonſus Rodriquez, qui ejus erat Socius, audivit à DEO: *Rector tuus expiabit concionem hanc igne purgatorio.* Qua re intellecta, P. Joannes nunquam deinceps

ceps eo idiomate uſus eſt, orandi, & corpus vexandi ſtudio aſſiduè intentus. Cùm pro mortuo oraret Alphonſus, vidit eum radiis undique, ſed potiſſimùm capite collucentem, & velut coronatum.

5. In America apud Hiroquæos, an. 1646. P. Iſaacius Jogues, Gallus. Incredibili ardebat patiendi deſiderio: unde, cùm aliquando totam noctem coram venerabili Sacramento humi proſtratus, peteret copiam, multa & acerba patiendi, reſponſum audivit: *Exaudita eſt oratio tua; fiet tibi, ſicut à me petiiſti. Confortare, & eſto robuſtus.* Hurones ergo cùm excoleret in Nova Francia, captus ab Hiroquæis ſummè barbaris, admiranda paſſus eſt, avita planè veterum Martyrum fortitudine.

## XIX. OCTOBRIS.

1. MOnaſterienſe in Veſtphalia Collegium inſtitutum eſt annô 1588. Acriter ſe illi oppoſuerunt nobiliores duo è clero, omnes nervos intendentes, ut Jeſuitæ vel non admitterentur, vel turpiùs ejicerentur. Sed

in

in caput ipſorum brevì recidit ignominia. Cædis enim patratæ rei, non ſolùm dignitate privati, ſed civitate pulſi ſunt. Feſtivius quiddam evenit hæretico miniſtello. Circumjacentes hæreticos non leviter urebat propinquitas Jeſuitarum Monaſterii receptorum. Cùm igitur miniſter reformati Evangelii in territorio Oſnabrugenſi incidiſſet in quoſdam cives Monaſterienſes, non potuit ſibi imperare, quin acriter illis exprobraret admiſſionem Jeſuitarum. Illi, ùt erant viri probi, & ſimplices, audito Jeſuitarum nomine flexo poplite, & capite aperto venerati ſunt Sanctiſſimum JESU nomen. Quod cùm iterum, iterúmque facerent, ſtomachari Prædicans, & vix non diſrumpi; tandem apertè denunciat, nequiſſimum genus hominum Jeſuitas, non honore, ſed omni probro dignos eſſe; at illi tum quoque caput aperuerunt. Sic confuſus, & in rabiem actus impudens rabula in fugam ſe conjecit, nè cumularet honores iis, quos infames volebat. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. n. 88. &c.*

2. In Helvetia Lauffenum oppidum annô 1588. Eccleſiæ reſtitutum eſt. Inſtituerunt Epiſcopus Baſileenſis, & Nuncius Apoſtolicus, etiam Pontificis interpoſita authoritate, ut eò de Societate quiſpiam mitteretur. Miſſus ex Collegio Lucernenſi zeloſus, & induſtrius Sacerdos Jodocus Itæus, qui menſis unius ſpatiô, ità civibus, & Prælatis prædictis ſuam probavit operam, ut ſtatio illi prorogata ſit in menſes quatuor, & Socius laborum datus Sacerdos alter è noſtris. Hi tam dextrè, fortitérque cœptum opus promoverunt, ut tota civitas cum pagis quinque, & Præfectura Zuingenſi, ejecto Prædicante hæretico, & occlusâ ſynagogâ Lutheranâ, ad Eccleſiam Romanam hoc die ultro redierint, conteſtati, eam ſe uſque ad ſanguinis profuſionem, & mortem propugnaturos. *Idem ibid. n. 81.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Bivonæ, annô 1564. P. Petrus Venuſtus, Italus. A. S. P. Ignatio miſſus

ſus in Siciliam, Novitios iſthìc religioſè inſtituit, ac digna egit Apoſtolico viro. Inter alios Sacerdotem quendam publica ſcandala dantem aggreſſus, monuerat ſuaviter, fortitérque, ut offendiculo eſſe deſineret. Qui monitoris impatiens, redeuntem ex agro Patrem Petrum à tergo invaſit, ac tertiò vulneratum in capite proſtravit. Inventus Pater à Bivonenſibus, cùm volutaretur in ſanguine ſuo, rogatúſque: num noſceret percuſſorem? affirmavit, ſed nunquam prodere voluit, dicens: *Sinite illum: DEUS illi ignoſcat.* Simúlque JESU Nomine pronunciato, exſpiravit, relictâ poſt ſe magnâ ſanctimoniæ famâ.

4. In Lotharingia, annô 1637. P. Joannes Wortingtonus, Anglus, operarius tam extra, quàm intra carcerem Apoſtolicus. Poſt aliquot annorum labores Apoſtolicos comprehenſus, carceris moleſtias toleravit bienniô, tanto animarum fructu, ut ipſe ſcripſerit: Tot, támque frequentes ad expiandos animos ad me veniunt (in carce-

 rem)

Digitized by Google

rem ) ut hebdomada qualibet in carcere plures, quàm in 6. vel 7. hebdomadis foris liber, excipiam confeſſiones. Denique proſcriptus ex Anglia venit in Belgium, & ad Miſſiones caſtrenſes applicatus, plenus dierum, & meritorum migravit adSocietatem triumphantem. *Ex Tannero.*

5. Lovanii in Belgio, annô 1608. P. Martinus Delrio, Belga. Illuſtri genere ortus, ſummíſque honoribus illuſtris, relictis Cancellarii Brabantiæ, & regii Fiſci Procuratoris muneribus, Chriſtum pauperem ſecutus eſt. Ad Societatem attulit non ſolùm ingentem nominis famam, linguarum plurimarum peritiam, ingenium omnigena eruditione prophanarum ſcientiarum inſtructiſſimum; verùm etiam virum bonum ad normam Evangelii probè efformatum. In Societate repueraſcens, tam humilem, docilémque ſe præbuit tyronem, quàm eminentem, & ſcientiarum omnium varietate ad miraculum uſque conſpicuum, olim egerat Doctorem. Theologicis excultus ſtudiis,

Digitized by Google

diis, laureáque Doctorali ornatus, & acutiſſimum in ſpeculativis, & ſolidiſſimum in ſacris literis interpretandis egit Magiſtrum. Singularis promicabat ei in vultu candor animi, & caſtimoniæ, à prima adoleſcentia ſervatæ, nitor. Compendium vitæ ejus religioſæ dici poteſt humillima obedientia, & obedientiſſima humilitas. Scripſit, ediditque vir doctiſſimus complura tum ante, tum poſt initam Societatem: inter quæ celebrantur paſſim, & in judiciis adhibentur, ejus Diſquiſitionum Magicarum Libri 6. in Tomos 3. diſtincti. *Sotuell.*

7. PP. Franciſcus Ronſillus, & Georgius Blanerius. Navis prætoria, qua vehebantur, vadis impacta prope Nerium Gallæciæ promontorium, triſte naufragium fecit. Pauci ope tabularum, aut brachiorum remigio, in littus evaſerunt; plurimi vel hauſti fluctibus, vel rupibus illiſi, & obtriti ſunt. Inclinata ſenſim unum in latus carina malum ingentem ità demiſit, ut ejus apex ſederet in terra, pontémque veluti ſter-

Digitized by Google

ſterneret, quo dum utuntur è vectoribus præcipui, ac terram ſalvi obtinent, ſacerdotem utrumque hortantur ſaluti conſulere. Illi verò facturos ſe negârunt, donec unus reſtaret in navi, & adhuc trecenti ſupererant, quos dum peccata confitentes audiunt, decumanus repente fluctus omnes obruit annô 1596. ejecta cadavera in ſacello proximo ſepulta ſunt. Ronſillus in Hiſpania, Blanerius in Belgio natus erat.

## XX. OCTOBRIS.

I. ANnô 1562. Jacobus Lainius Præpoſitus Generalis Societatis, præclaram habuit diſſertationem in Concilio Tridentino, de Inſtitutione Epiſcoporum, an ſit immediatè à DEO, ùt volebant Epiſcopi Hiſpani, vel mediante Pontifice Romano, tanquam Chriſti Vicario, prout ſentiebant alii, Pontificis ſtudioſiores. Fervebant partis utriuſque ſtudia ferè uſque ad contentionem. Lainius extra ordinem poſtremus diſputavit, & integrum tempus ſolus explevit. In exordio ſermo-

monis commemoravit, ter ſe illi Synodo interfuiſſe ſub Paulo, ſub Julio & ſub Pio Pontificibus; ſempérque ſe uſum ſinceritate loquendi abſque fuco, & reſpectu, eâdem etiam ſe uſurum profeſſus eſt; nullam enim ſibi ſuppetere rationem aliter agendi, utpote nihil aut quærenti, aut ſperanti, aut metuenti. Poſtea quæſtionem ingreſſus, dixit: Quatuor à ſe ſuſcipi: Quæſtionis explicationem, ſuæ ſententiæ expoſitionem, alienarum confutationem, & ſuæ comprobationem. Eam porrò tenuit ipſe, latéque ac ſolidè propugnavit ſententiam, qua in Epiſcopos à DEO derivatur poteſtas, non immediatè, ſed per Chriſti Vicarium, Divi Petri Succeſſorem, loquendo *de Poteſtate Juriſdictionis*, de qua potiſſimùm lis erat; *Poteſtatem Ordinis* eos accipere immediatè à DEO conceſſit. Omnia tanta vi rationum, & eloquentia deduxit, ut multi Patrum, oppoſitam ſecuti ſententiam, vel apertè eam deſeruerint, vel mentem ſuam uberiùs, & accommodatè ad ſenſum Lainii declarârint.

rârint. *Pallavicin. in hiſt. Conc. Trid. lib. 18. cap. 15. Sacchin. in hiſt. Soc. lib. 6. n. 85.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Badenæ in Germania, annô 1573. P. Georgius Schorichius, Germanus, à S. P. Ignatio Societati adſcriptus, atque à culinæ officiis ad literas ingenium transferre juſſus, in Germania pro fide tanta geſſit: ut Dux Albertus eum delegerit ad inferiorem Bavariam ad fidem Orthodoxam reducendam. Quod ille feliciter præſtitit, adeoque Badenam miſſus ad ſimiles labores, veneno ab hæreticis propinatô, ſublatus eſt.

3. Conſtantiæ in Germania, annô 1635. P. Balthaſar Wegelin, Germanus. Per annos 30. Collegii Procurator accuratus, unáque Operarius indefeſſus, laureatam mortem ex charitate peſtiferis exhibita obtinuit, unà cum Sociis viginti, & uno per Germaniam ſparſis.

4. Poſnaniæ in Polonia, annô 1655. P. Stanislaus Woyſza, Ruthenus. Cùm informis, & ferè monſtroſus natus eſſet, ſinè

ſinè cranio, & ferè ſinè forma hominis, ope S. Stanislai Koſtka, cui oblatus fuerat, plenè perſanatus eſt. Nemo illo promptior ſive ad infirmos, ſive ad ſanos juvandos Sacramentalis pœnitentiæ remediô. In animas purgatorii quoque prolixè liberalis, ſæpe illas depoſcendi auxilii causâ ad ſe ventitantes habuit. Injuriarum tolerantiſſimus, pro quodam ſibi injurioſo per annos 13. ſtatis diebus per ſingulas hebdomadas certas orationes, & mortificationes DEO offerebat. Matura denique cœlo ejus Apoſtolica charitas, in arena peſte infectorum, quibus indefeſſus deſerviit, coronata eſt.

5. Lovanii in Belgio Franciſcus Gruythuyſen, Scholaſticus Belga. Non expectatô Sacerdotiô, properavit in glorioſam peſtiferorum arenam, illíque florem ætatis devovit, cum Sociis undeviginti, quos per diverſa Belgii loca ejuſdem gloriæ conſortes habuit.

XXI.

Digitized by Google

# XXI. OCTOBRIS.

I. EX portu Sancianenſi, annô 1552. literas dedit S. Xaverius ad P. Franciſcum Perez, quas ità orditur. *Franciſce Perez, mando tibi in virtute S. Obedientiæ, nè poſt viſas haſce meas literas hæreas ampliùs Malacæ, ſed quàm primùm poteris, expedias te ad navigandum in Indiam, &c.* ſcilicet Collegii Cocinenſis futurus Rector; Rectori autem mandavit, ut eodem die, quo veniret Perez, traderet ipſi officium. Quod exordium non formatum juxta ſtylum hodiernum, videri poſſet duriuſculum, & præferre non parum deſpoticæ poteſtatis; ſed rationem hujus ſtyli, & mentis ſuæ paulò pòſt in iiſdem literis aperit humillimus, & ſuorum amantiſſimus Xaverius, ſubjungens: *Quanquam hæc, & his plura, majoraque confidebam, vos ſola voluntatis meæ indicatione ſinè mora facturos; tamen ad majus veſtrum meritum, interpono vim poteſtatis mihi traditæ.* Unde patet, meliùs eſſe, imperanti parere Superiori, quàm ſatis-

tis-

Digitized by Google

tisfacere ſuadenti, aut petenti. Multum enim reſpectûs humani habere ſolet hæc obediendi ratio. *Epiſt. Novar. lib. 7. ep. 8.*

2. In India Goæ, annô 1548. ipſo hoc die ſacro S. Urſulæ, ſolemni pompâ delatum eſt ad templum Societatis Caput unius Virginis, & Martyris è comitatu S. Urſulæ. Cùm enim in itinere ventorum impulſu navis, qua vehebantur aliquot è noſtris, impulſa eſt in arenas, & ſyrtes, excuſsóque gubernaculo, omni ſpe ſalutis eſſent deſtituti; P. Gomius protulit in publicum ſacrum Caput, invocatáque ab omnibus Sancta Martyre, ſalvi evaſerunt repente, non ſinè manifeſto prodigio. *Orland. hiſt. Soc. p. 1. lib. 8. n. 119.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Nangaſachi in Japonia, an. 1633. P. Julianus Nacaura, principe Japoniæ ſtirpe natus, atque olim à Rege Bungi ad Gregorium XIII. Pontificem Max. Legatus, ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ deferendam. Româ redux, in Socie-

Digitized by Google

cietatem adſcriptus eſt, in qua probum religioſum, & impigrum operarium cùm egiſſet, ad ſcrobem Japonicam odiô fidei raptus eſt. Cùm duceretur, populum comitantem allocutus, dixit: Illum ſe, illum Julianum eſſe, miſſum enim Romam à Japonia ſaniore, & mitiore, pro illa Romana, & vera fide ſe nunc vitam libenter deponere. Triduanô tormentô gloriam meritus æternam deceſſit. Eodem mortis genere ſublati cum illo ſunt Petrus, & Matthæus Novitii Japones.

4. Panormi in Sicilia, annô 1656. P. Aloyſius la Nuſa, Siculus, Illuſtriſſimis ortus natalibus, patriæ ſuæ Apoſtolus, innumerabilium animarum lucris, prædictionibus, & ſignis conſpicuus. Eccleſiæ munus per annos ferè 40. perſanctè geſſit. Viderunt quidam ex dicentis fronte ſplendidiſſimum radium promicantem, & auditores illuminantem; alii conſpexerunt Angelum concionanti aſſiſtentem; alii ex orantis ore fulgidum radium in cœlos vibratum, aliis viſa eſt ejus anima, comitantibus SS.

SS. Ignatio, & Xaverio, aliiſque de Societate, & innumeris, quos cœlo lucratus fuit, cœlos conſcendere.

5. In Peru, annô 1622. P. Emmanuel Ortega, Luſitanus, magnus in Luſitania, Braſilia, Paraquaria, & Provincia Peruana operarius, pro DEI gloria, & animarum ſalute. Tempore ingentis cujuſdam exundationis noctu per horam circiter natavit ad baptizandos Indos, qui mergebantur, cum manifeſto vitæ diſcrimine. Admiranda alia geſſit, paſſus eſt animarum causâ. Coadjutor ſpiritualis Formatus cùm eſſet, oblatum ſibi 4. Votorum proffeſſionem non admiſit, nè quid laxamenti in Inſtituto fieret ſui causâ.

6. Regiomonti in Pruſſia, an. 1653. P. Joannes Kihn Prutenus, cùm in vaſta hæretica urbe, quam dira peſtis depopulabatur, Catholicis Sacramenta, hæreticis ea, quæ poterat ſubſidia ſtrenuè miniſtraret, non ſinè ſtupore acatholicorum, glorioſo agone conſummatus eſt vir zeloſiſſimus.

XXII.

Digitized by Google

# XXII. OCTOBRIS.

I. ANnô 1552. Julius III. Pont. Max. confirmavit Privilegia Societati conceſſa à Prædeceſſore ſuo Paulo III. quoad Diſpenſationem circa Jejunia, & cibos prohibitos, atque Abſolutionem à quibuſcunque caſibus hæreſeos in foro conſcientiæ, quæ, & ſimilia Privilegia voluit non comprehendi ſub quibuſvis derogationibus, etiam in ſtrictiſſima forma. Inſuper conceſſit, ut cum facultate Generalis, & aliorum, quibus ipſe delegaverit, poſſint noſtri ex rationabili cauſa, poſtponere Recitationem Horarum, Canon. Sacrificio Miſſæ, & Infirmis commutare in levius aliquid, &c. *Bullar. Societ.*

2. In Indiam epiſtolam dedit S. Xaverius ad P. Franciſcum Henricum laborantem in Travancoride, ſed deſiderantem indè excedere aliò, ubi fructuoſior eſſet ejus labor. Docet eum Sanctus, id non eſſe à bono, ſed maligno ſpiritu optante, regionem illam

de-

deſtitui omni operario Evangelico; ut nec parvuli, qui moriuntur, perveniant in cœlum, utpote baptiſmi expertes. Genus eſt, inquit, inſidiarum ejus, majorem alibi divini obſequii ſpem oſtentare, ut videlicet ſolicitet, atque avertat eos, qui utiliter operam navant DEO ibi, ubi ſunt. Itaque vereor, nè te ſuo illo artificio aggreſſus, idcirco ſolicitet: ut ex iſtis abigat locis. At memento, te octo menſibus, quibus iſthic verſaris, plures animas conſervâſſe, moribundis baptizandis infantibus, quàm omnibus annis, quibus in Luſitania, & India fuiſti &c. *Epiſt. vet. lib. 2. ep. 8.*

3. Aliam dedit idem Sanctus epiſtolam annô 1553. ex Sanciano Sinarum portu ad Franciſcum Peram, qua ex amplitudine, & ardore Spiritûs ſui Apoſtolici ſignificat: ſe jam in procinctu eſſe ad ſolvendum in Sinenſe imperium conducto ducentis aureis mercatore quodam Sinenſi, qui eum expoſiturus eſſet ante portam urbis Cantonenſis, & curaturus, ut ad Gubernatorem

râſrint. *Pallavicin. in hiſt. Conc. Trid. lib.* *18. cap. 15. Sacchin. in hiſt. Soc. lib. 6. n. 85.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Badenæ in Germania, annô 1573. P. Georgius Schorichius, Germanus, à S. P. Ignatio Societati adſcriptus, atque à culinæ officiis ad literas ingenium transferre juſſus, in Germania pro fide tanta geſſit: ut Dux Albertus eum delegerit ad inferiorem Bavariam ad fidem Orthodoxam reducendam. Quod ille feliciter præſtitit, adeoque Badenam miſſus ad ſimiles labores, venenô ab hæreticis propinatô, ſublatus eſt.

3. Conſtantiæ in Germania, annô 1635. P. Balthaſar Wegelin, Germanus. Per annos 30. Collegii Procurator accuratus, unáque Operarius indefeſſus, laureatam mortem ex charitate peſtiferis exhibita obtinuit, unà cum Sociis viginti, & uno per Germaniam ſparſis.

4. Poſnaniæ in Polonia, annô 1655. P. Stanislaus Woyſza, Ruthenus. Cùm informis, & ferè monſtroſus natus eſſet, ſinè

ſinè cranio, & ferè ſinè forma hominis, ope S. Stanislai Koſtka, cui oblatus fuerat, plenè perſanatus eſt. Nemo illo promptior ſive ad infirmos, ſive ad ſanos juvandos Sacramentalis pœnitentiæ remediô. In animas purgatorii quoque prolixè liberalis, ſæpe illas depoſcendi auxilii causâ ad ſe ventitantes habuit. Injuriarum tolerantiſſimus, pro quodam ſibi injurioſo per annos 13. ſtatis diebus per ſingulas hebdomadas certas orationes, & mortificationes DEO offerebat. Matura denique cœlo ejus Apoſtolica charitas, in arena peſte infectorum, quibus indefeſſus deſerviit, coronata eſt.

5. Lovanii in Belgio Franciſcus Gruythuyſen, Scholaſticus Belga. Non expectatô Sacerdotiô, properavit in glorioſam peſtiferorum arenam, illíque florem ætatis devovit, cum Sociis undeviginti, quos per diverſa Belgii loca ejuſdem gloriæ conſortes habuit.

XXI.

# XXI. OCTOBRIS.

I. EX portu Sancianenſi, annô 1552. literas dedit S. Xaverius ad P. Franciſcum Perez, quas ità orditur. *Franciſce Perez, mando tibi in virtute S. Obedientiæ, nè poſt viſas haſce meas literas hæreas ampliùs Malacæ, ſed quàm primùm poteris, expedias te ad navigandum in Indiam, &c.* ſcilicet Collegii Cocinenſis futurus Rector; Rectori autem mandavit, ut eodem die, quo veniret Perez, traderet ipſi officium. Quod exordium non formatum juxta ſtylum hodiernum, videri poſſet duriuſculum, & præferre non parum deſpoticæ poteſtatis; ſed rationem hujus ſtyli, & mentis ſuæ paulò pòſt in iiſdem literis aperit humillimus, & ſuorum amantiſſimus Xaverius, ſubjungens: *Quanquam hæc, & his plura, majoraque confidebam, vos ſola voluntatis meæ indicatione ſinè mora facturos; tamen ad majus veſtrum meritum, interpono vim poteſtatis mihi traditæ.* Unde patet, meliùs eſſe, imperanti parere Superiori, quàm ſatis-

tisfacere ſuadenti, aut petenti. Multum enim reſpectûs humani habere ſolet hæc obediendi ratio. *Epiſt. Novar. lib. 7. ep. 8.*

2. In India Goæ, annô 1548. ipſo hoc die ſacro S. Urſulæ, ſolemni pompâ delatum eſt ad templum Societatis Caput unius Virginis, & Martyris è comitatu S. Urſulæ. Cùm enim in itinere ventorum impulſu navis, qua vehebantur aliquot è noſtris, impulſa eſt in arenas, & ſyrtes, excuſsóque gubernaculo, omni ſpe ſalutis eſſent deſtituti; P. Gomius protulit in publicum ſacrum Caput, invocatáque ab omnibus Sancta Martyre, ſalvi evaſerunt repente, non ſinè manifeſto prodigio. *Orland. hiſt. Soc. p. 1. lib. 8. n. 119.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Nangaſachi in Japonia, an. 1633. P. Julianus Nacaura, principe Japoniæ ſtirpe natus, atque olim à Rege Bungi ad Gregorium XIII. Pontificem Max. Legatus, ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ deferendam. Româ redux, in Socie-

cietatem adſcriptus eſt, in qua probum religioſum, & impigrum operarium cùm egiſſet, ad ſcrobem Japonicam odiô fidei raptus eſt. Cùm duceretur, populum comitantem allocutus, dixit: Illum ſe, illum Julianum eſſe, miſſum enim Romam à Japonia ſaniore, & mitiore, pro illa Romana, & vera fide ſe nunc vitam libenter deponere. Triduanô tormentô gloriam meritus æternam deceſſit. Eodem mortis genere ſublati cum illo ſunt Petrus, & Matthæus Novitii Japones.

4. Panormi in Sicilia, annô 1656. P. Aloyſius la Nuſa, Siculus, Illuſtriſſimis ortus natalibus, patriæ ſuæ Apoſtolus, innumerabilium animarum lucris, prædictionibus, & ſignis conſpicuus. Eccleſiæ munus per annos ferè 40. perſanctè geſſit. Viderunt quidam ex dicentis fronte ſplendidiſſimum radium promicantem, & auditores illuminantem; alii conſpexerunt Angelum concionanti aſſiſtentem; alii ex orantis ore fulgidum radium in cœlos vibratum, aliis viſa eſt ejus anima, comitantibus SS.

SS. Ignatio, & Xaverio, aliiſque de Societate, & innumeris, quos cœlo lucratus fuit, cœlos conſcendere.

5. In Peru, annô 1622. P. Emmanuel Ortega, Luſitanus, magnus in Luſitania, Braſilia, Paraquaria, & Provincia Peruana operarius, pro DEI gloria, & animarum ſalute. Tempore ingentis cujuſdam exundationis noctu per horam circiter natavit ad baptizandos Indos, qui mergebantur, cum manifeſto vitæ diſcrimine. Admiranda alia geſſit, paſſus eſt animarum causâ. Coadjutor ſpiritualis Formatus cùm eſſet, oblatum ſibi 4. Votorum proffeſſionem non admiſit, nè quid laxamenti in Inſtituto fieret ſui causâ.

6. Regiomonti in Pruſſia, an. 1653. P. Joannes Kihn Prutenus, cùm in vaſta hæretica urbe, quam dira peſtis depopulabatur, Catholicis Sacramenta, hæreticis ea, quæ poterat ſubſidia ſtrenuè miniſtraret, non ſinè ſtupore acatholicorum, glorioſo agone conſummatus eſt vir zeloſiſſimus.

XXII.

Digitized by Google

# XXII. OCTOBRIS.

I. ANnô 1552. Julius III. Pont. Max. confirmavit Privilegia Societati conceſſa à Prædeceſſore ſuo Paulo III. quoad Diſpenſationem circa Jejunia, & cibos prohibitos, atque Abſolutionem à quibuſcunque caſibus hæreſeos in foro conſcientiæ, quæ, & ſimilia Privilegia voluit non comprehendi ſub quibuſvis derogationibus, etiam in ſtrictiſſima forma. Inſuper conceſſit, ut cum facultate Generalis, & aliorum, quibus ipſe delegaverit, poſſint noſtri ex rationabili cauſa, poſtponere Recitationem Horarum, Canon. Sacrificio Miſſæ, & Infirmis commutare in levius aliquid, &c. *Bullar. Societ.*

2. In Indiam epiſtolam dedit S. Xaverius ad P. Franciſcum Henricum laborantem in Travancoride, ſed deſiderantem indè excedere aliò, ubi fructuoſior eſſet ejus labor. Docet eum Sanctus, id non eſſe à bono, ſed maligno ſpiritu optante, regionem illam de-

deſtitui omni operario Evangelico; ut nec parvuli, qui moriuntur, perveniant in cœlum, utpote baptiſmi expertes. Genus eſt, inquit, inſidiarum ejus, majorem alibi divini obſequii ſpem oſtentare, ut videlicet ſolicitet, atque avertat eos, qui utiliter operam navant DEO ibi, ubi ſunt. Itaque vereor, nè te ſuo illo artificio aggreſſus, idcirco ſolicitet: ut ex iſtis abigat locis. At memento, te octo menſibus, quibus iſthic verſaris, plures animas conſervâſſe, moribundis baptizandis infantibus, quàm omnibus annis, quibus in Luſitania, & India fuiſti &c. *Epiſt. vet. lib. 2. ep. 8.*

3. Aliam dedit idem Sanctus epiſtolam annô 1553. ex Sanciano Sinarum portu ad Franciſcum Peram, qua ex amplitudine, & ardore Spiritûs ſui Apoſtolici ſignificat: ſe jam in procinctu eſſe ad ſolvendum in Sinenſe imperium conducto ducentis aureis mercatore quodam Sinenſi, qui eum expoſiturus eſſet ante portam urbis Cantonenſis, & curaturus, ut ad Gubernatorem

rem deduceretur. Quæcunque ſors apud hunc ſibi contingeret, paratiſſimum ſe eſſe ad omnem, ſive ſint vincula, & carceres perpetui, ſive tormenta immaniſſima, cùm meliùs ſit hæc pati, quàm negligere Evangelii propagationem. *Epiſt. Vet. lib.* 4. *ep.* 15.

## *Eodem die obierunt.*

4. Nangaſachi in Japonia, an. 1633. P. Joannes Matthæus Adamus, Italus. Ærumnas plurimas perpeſſus Evangelii, & animarum causâ, tandem comprehenſus, & fame cruciatus, extremos quinque vitæ dies in tormento Japonico egit, de furca in foſſam ſuſpenſus è pedibus, indè ad aſtra elatus.

5. Calliſii in Polonia, annô 1634. P. Blaſius Plozzinius, Polonus. Cùm adoleſcens inſigni virtute præſtaret, juſſus eſt ab eo, cui erat in obſequiis arenti terræ pluviam à DEO flagitare. Paruit Blaſius, non diu oravit, & cœlum ſudum in pluvias affluenter ſolutum eſt. In Societate religioſum egit ad legum normam egregiè compoſitum. Dixit duo

duo ſe petiiſſe à DEO: ut, nè Domeſticis moleſtus eſſet, non diu, ſed acerrimè ægrotaret, nec diu in vivis ſuperſtes eſſet. Utrumque obtinuit, ac inſuper notitiam diei ſui extremi, quem prædixit.

6. Brunæ in Moravia, annô 1648. P. Samuel Richter Moravus. Salutis animarum ſitientiſſimus, promptiſſimum ſe ad illas juvandas in quavis occaſione præſtabat, relictô etiam aliquandò poculô, quo laboribus feſſus ſitim levare volebat. Sibi dictum cenſebat illud Pſalmographi: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor.* Adjuvit ſtrenuè, donec in obſequio peſtiferorum caderet gloriosè.

## XXIII. OCTOBRIS.

I. ANnô 1597. ab Inquiſitione Generali Hiſpana expedita ſunt Romam Teſtimonia authentica de ſenſu variarum Academiarum, & Doctorum Hiſpaniæ circa Controverſiam ferventem inter Ordines PP. Prædicatorum, & Societatis de Auxiliis Divinæ



Digitized by Google

Gratiæ. Mandaverat enim ſuprema Inquiſitio Hiſpana Academiis Salmanticenſi, Complutenſi, & Siguntinæ: ut ſuum de Controverſia illa judicium perſcriberent, idémque ut facerent, doctiſſimos quoſque in Hiſpania viros rogaverat. Provincialibus itèm utriuſque partis injunxerunt, ut, quod de Gratia ſufficienti, & efficaci ſentirent, ſcriptô conſignarent, ad ſedem Apoſtolicam mittendum. Obtemperatum ab omnibus accuratè. Digeſta ſunt omnia in Tomos 3. & Romam expedita anno, diéque prædictis, ad informandam Sedem Apoſtolicam. *Eleuth. hiſt. de Auxil. lib. 2. cap. 26.* ubi oſtendit: ex Epiſcopis, aliiſque Doctoribus, quorum judicia Romam miſſa ſunt, duplo plures fuiſſe pro Doctrina Molinæ, quàm contra illam.

2. In Gallia Guilielmus à Prato, Epiſcopus Claromontanus, anno 1560. inter mortales deſiit, Præſul in omnes partes optimus, ac memoriâ æternâ dignus, atque à DEO datus Societati, collocandæ, & educandæ in Galliis.

Tria

Tria Collegia Societati fundavit munificentiſſimè temporibus difficillimis ( quando ſcilicet illa in ſuis initiis nondum ſatìs cognita, pro inutili, imò noxia habebatur )Billomenſe, Mauriacenſe, & Parienſe, quod regiâ ſuâ munificentiâ gloriosè conſummavit Ludovicus Magnus, Rex Chriſtianiſſimus. *Saachin. hiſt. Soc. p. 2. l. 4. n. 92.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Saſſari in Sardinia, annô 1635. P. Joannes Andreas Manconius, Sardus, excellenti virtute, & prædicandi gratiâ celebris. DEI-paræ V. cultui addictiſſimus, ejus aſpectu multoties eſt honoratus, ſed paſſim ſe illi ſub Cruce ſpectandam obtulit. Semel tamen, cùm ille vexaretur importuna cujuſdam fœminæ ſpecie, identidem ſeſe ingerente, ideóque mœſto eſſet animo, Cœli Regina comitantibus SS. Catharina, atque Cæcilia admirabili pulchritudine, & ſplendore conſpicuam ſe illi objecit, dixítque: *Vide, an pulchritudo, quæ corrumpitur, cum hac poſſit ulla ex parte com-*

E 2 *pa-*

*parari*? Ante mortem rogatus, ecquid illi maximo eſſet ſolatio in illo articulo? Quòd, inquit, nullam conſolationem ipſe mihi unquam indulſerim.

4. Leodii in Germania, annô 1634. Rudolphus Ruſellus, Anglus, Scholaſticus. Vitæ innocentiam nulla gravi noxa temeratam, ut inſigni virtutum apparatu ornaret, præter accuratam legū cuſtodiam, duobus hiſce uſus eſt adminiculis. Nullam temporis particulam ſibi elabi ſinè fructu ſinebat, nec adamantinum ſuum decretum colloquendi ſemper de rebus piis, unquam violavit.

5. Hiſpali in Hiſpania, annô 1647. Joannes de Soria Coadjutor, Hiſpanus, concione audita ſaucius, relictâ mercaturâ, & ſponsâ Societatem ingreſſus, ſemper in illa religiosè vixit, maximè poſtquam à gravi morbo per S. Ignatium miraculô eſt liberatus. Nullum diem elabi ſinebat, quin regulis, bis quotidie conſideratè legendis, aliquid temporis impenderet. Votô ſe obligavit, ad vitandum quodvis deliberatum veniale peccatum, Sabbatho totius

heb-

hebdomadæ defectus confeſſione expiabat, quamvìs id aliquoties per hebdomadam egiſſet, & veniâ gauderet, etiam quotidie communicandi.

## XXIV. OCTOBRIS.

I. TAurini in Pedemontio, an. 1568. apertæ ſunt Scholæ, magna exultantium civium gratulatione, & commoditate; poſt erectum annô præteritô Collegium, non ſinè ſpecialis Providentiæ divinæ argumentis. Templo illata ſunt ſolemniſſimâ pompâ, quinque Sanctorum corpora, è quibus tria fuerunt SS. Martyrum è legione Thebæorum, Solutoris, Adventoris, & Octavii; quartum Sanctæ Julianæ Virginis, quæ prædictorum Martyrum collegit, ſervavítque reliquias; quintum S. Guſſolini Abbatis ad S. Solutorem, qui virtutis excellentiâ famam Sanctitatis meruerat. Scholis, & Collegio præfuit primus Rector P. Jacobus Acoſta, quem celebrem fecit victoria de duobus Hugonottis reportata. Primus in arenam deſcendere præſumpſit diſcipulus, qui

 facili

facili negotio ſubactus eſt. Diſcipuli ignominiam ſuam ratus magiſter, ipſum ſe congreſſurum denunciavit, ac Taurinenſibus, & Jeſuitæ oſtenſurum: quid interſit inter diſcipulum, & magiſtrum. Et erat literaturâ ſuorum non mediocriter tinctus, nec ulli cedebat audaciâ, & verborum profluviô. Poſtridie commiſſum publicè certamen tres horas tenuit. Ter ità victus hæreticus, ut tanquam interclusô ſpiritu, non poſſet hiſcere, & quiſque videret profligatum eſſe. Ad extremum pudore ſuffuſus, quamvìs in fronte admodùm perfricta, ità diſceſſit, ut diceret: conventurum ſe Acoſtam privatim. At comparuit nunquam, & petulantem illi linguam infamiâ egregiè frenavit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 3. num. 116. & n. 173. & p. 4. lib. 3. n. 67.*

### *Eodem die obierunt.*

2. Conimbricæ in Luſitania, annô 1604. P. Hieronymus Carvalius, Luſitanus. Orationi ſex quotidie horas dabat, & genua centies ſubmittebat. Pauper-

pertatem tam tenerè coluit, ut in ejus veſte curioſus quiſpiam nonaginta numerârit aſſutos centones. Solicitus aliquando de pœnis Purgatorii tolerandis, vidit apparentem ſibi Virginem DEI-param, audivítque dicentem: Metum poneret, ſe non ſolùm in hac vita, ſed etiam in Purgatorio gementium eſſe Advocatam. Cùm 45. eſſet annorum, ſcripſit ſibi adhuc quindecim ſupereſſe annos vitæ, atque ità evenit.

3. Rhotomagi in Gallia, annô 1626. P. Joannes le Sec, Gallus, charitate, ac zelo præſtanti, caput ſuum bis in obſequium peſtiferorum devovit. DEIparæ cultui addictiſſimus, aſſiduè illam ſollicitabat, ut cui ipſa ad Societatem aditum aperuiſſet, etiam perſeverantiam impetraret. Exercitia ſpiritualia inchoaturus, dixit extrema ſibi futura, & diem obitûs, qui ità evenit, nominavit.

4. Murciæ in Hiſpania, annô 1558. P. Marcus Antonius Fontova, Hiſpanus. Vices agebat Præpoſiti Provinciæ Aragoniæ, qui in Urbem profectus fuerat; ſed cùm lues contagioſa quaſdam Hi-

ſpaniæ partes corripuiſſet, heroico charitatis obſequio ſe ipſum immolavit, cecidítque charitatis victima cum Sociis duobus. Valentiæ eodem anno ex eadem cauſa occubuerunt Coadjutores duo, plures Barcinone cum Rectore ſuo P. Joanne Geſti; Anno ſequente Murciæ P. Gaſpar Lopez. Annô 1560. Gandiæ extincti quatuor eodem charitatis igne.

5. P. Michaël Turrianus, Complutenſis Academiæ Rector, antequam Societati nomen daret, ab eadem Romam miſſus ad propugnanda ibi ejus jura. Romæ cùm degeret, occurſum, aſpectúmque noſtrorum hominum ità refugiebat, ut nè ſuſtineret quidem in ſermone mentionem de illis fieri, malevolorum obtrectationibus circumventus. Itaque vix Joannes de Vega, Orator Catholici Regis ab eo exoravit, ut ipſum P. Salmeron obiter noctu ſecretis ædibus conveniret. Multis precibus ab eo obtinuit P. Salmeron, ut idem beneficium præſtaret Ignatio. Venit in condictum pomerii locum Turrianus oratione

tione meditata contra Ignatium, tanquam certiſſimum præſtigiatorem munitus. Quem ubi conſpexit Ignatius, & comiter, ùt ſolebat, ſalutavit; ille perculſus aſpectu viri, ejus comitate, atque adeò *Spiritu, qui loquebatur*, victus, ruit in amplexum, & deſine, inquit, plura, tuus ſum, quid me jubes facere? Poſt quadriennium ſuſceptus ad Societatem, eum S. Ignatius pupillam oculi ſui vocitabat. Ejuſdem nomen S. Borgias in libro vitæ ſcriptum vidiſſe fertur. Cùm parotide laboraret, ac lapſus humor in guttur, cibi, & vocis meatum intercluderet, quo die migravit è vita, conſtitit humoris fluxus, ac liberas, apertásque fauces tamdiu reliquit, dum ſacrô viaticô reficeretur, quô piè ac religiosè ſumptô iterum occluſo gutture eſt oppreſſus, annô 1593. ætatis ſuæ 85. *Juvenc.* 779.

## XXV. OCTOBRIS.

I. ANnô 1552. Epiſtolam dedit S. Xaverius ex Sanciano Sinarum inſula ad P. Gaſparem Barzæum, Goani



Digitized by Google

ni Collegii Rectorem, Virum funditus ſanctum, & Apoſtolicum. Inter cetera: Memento, inquit, quæ apud te reliqui præcepta, lectitare, atque obſervare ſedulò, maximè verò illa, quæ ad ſubmiſſionem animi pertinent, in quibus jubebam te exerceri quotidie. Vide etiam, atque etiam, nè circumſpiciens ea, quæ DEUS per te, ac Socios univerſos effecit, obliviſcaris tui. Mihi verò pro mea erga vos omnes charitate, pergratum eſſet, vos unà cum animis veſtris conſiderare, quàm multa DEUS veſtrô vitiô facere omittat; atque hæc malim vos intueri, quàm quantas res per vos DEUS faciat. Nam prior cogitatio pudorem, ac demiſſionem animi afferet vobis, veſtræ imbecillitatis, miſeriæque admonitis; poſterior autem facilè in elationis, & arrogantiæ diſcrimen adducet, nixos alienis bonis, præclaríſque facinoribus, hoc eſt Divinis. Circumſpice, quæſo, quàm multis hæc perverſa cogitatio periculum creârit; quàm exitialis hæc Societati peſtis, ſi ſemel in ea ſerpere

re cœperit, ſit futura. *Epiſt. Vet. lib. 4. ep. 14.*

*Eodem die obierunt.*

2. Neti in Italia, annô 1637. P. Michaël Montaltus, Italus, eximius DEIparæ V. cultor. Feſta ejus præveniebat jejuniô, pane, & aqua definitô, & inſomni nocte, quam orando, & pia legendo tranſigebat. Ipſis feſtis diebus eam, quam è charta in cubiculo habebat, DEIparæ imaginem floribus adornabat, atque coram ea Formulam Votorum Societatis, & alteram ſe illi devovendi renovabat. A carnibus, etiam cùm Concionatorem ageret, abſtinebat, plerumque pane cibario, & aquâ contentus, ſomnum non in lecto, ſed in ſella, pallio obvolutus capiebat.

3. In Braſilia, annô 1645. P. Antonius de Mattos, Luſitanus. Hollandico carcere per biennium maceratus, opinionem ſanctitatis indè extulit. Cùm valeret, noctu ſomnum capiebat ſtans, & baculo innixus, ut faciliùs excitaretur ad laudem DEO perſolvendam.



Digitized by Google

Cùm Collegia vel Provinciam regeret, reſponſum ad interrogata non dabat priùs, quàm conjectis in Crucifixum, vel humi deflexis oculis animum collegiſſet. Quibuſdam preces ejus expetentibus dixit facturum ſe, ſed ipſi hoc, illúdve occultum peccatum caverent. Quendam mari ſe committere non audentem ob metum piratarum monuit, ut certa peccata occulta expiaret, & certa quædam pietatis officia obiret, ſic ſecurum navigaturum; atque ità evenit.

4. Landſpergæ in Germania, annô 1636. Magnus Angerer, Coadjutor, Germanus. Per annos 22. magnô impigritatis exemplô piſtorem, hortulanum, & omnia egit, citra ullum laboris tædium, citra ullum pietatis detrimentum. Inter laborandum Marianum Roſarium mordicus ore tenebat, manibus occupatis, dentibus illud verſabat, & linguâ DEIparam ſalutabat rarâ induſtriâ.

## XXVI. OCTOBRIS.

I. ANnô 1578. ſupplicem epiſtolam dedit ad Præpoſitum Generalem

lem Everardum Mercurianum, Guilielmus Alanus, Sacerdos piiſſimus è præcipua nobilitate Anglicana, qui orta perſecutione Catholicorum in Anglia recepit ſe in Belgium, & profugos ex Anglia juvenes Catholicos colligebat in Seminarium quoddam Duaci, piorum eleemoſynis ſuſtentandos. Suaſum ſubinde Gregorio XIII. Pontifici Max. ut ſimile Anglicanum Collegium inſtitueret in Urbe, futurum columen collabentis Eccleſiæ Anglicanæ. Pontifex, ùt erat in omnem occaſionem juvandæ, & propagandæ Eccleſiæ intentiſſimus, erexit novum Seminarium, faciléque collecti ſunt adoleſcentes Angli non pauci, quibus Præpoſitus eſt Mauritius quidam Kolenocius; adjuncti duo è Societate, qui adminiſtrationis, ac diſciplinæ domeſticæ formam præſcriberent, ac in uſum deducerent. Illecti adoleſcentes humilitate, & comitate noſtrorum optabant ipſos præſcribi Seminario, quod etiam viſum eſt Alano; ideóque honorificas, felicéſque dedit literas

ras ad Everardum Generalem, ut Societas ejus Seminarii ſuſciperet gubernationem. Renuit Everardus graves ob cauſas; ſed cùm juvenes non contenti Præfecto ſuo, eò deſcendiſſent, ut maluerint deſerere Seminarium: Pontifex revocatos quieſcere juſſit, curámque, & adminiſtrationem omnem Societati demandavit. Et favit Pontificiæ diſpoſitioni, ac Societatis curis DEUS, dando tam felicia domui illi incrementa, ut plurimos piiſſimos Confeſſores, tum fortiſſimos Martyres aluerit, alátque etiamnum. *Sacchin. hiſt. Soc. p. lib. 7. n. 10. & ſeqq.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Toleti in Hiſpania, annô 1584. P. Franciſcus Strada, Hiſpanus, Eccleſiaſtes tanti ſpiritûs, ut ei vix parem habuerit Societas. Incredibili vi dicendi percellebat, conterebat, & in quam vellet partem flectebat corda, etiam juvenis, nondum Sacerdos, nec ſublimiore literatura tinctus. Concionibus ſuis, & S. P. N. Exercitiis ſcitiſ-

ſimè

ſimè traditis, velut duplici quodam E-liæ Spiritu, concuſſit Italiam, Belgium, Galliam, Luſitaniam, & Hiſpaniam; odia interniecina inter cives, & civitates compoſuit, religioſas domos aſcetis implevit, Societati complura Collegia erexit. Rogatus à P. Ribadeneira, unde illi eſſet ea vis in dicendo? ingenuè reſpondit: ſibi inter dicendum, radium quendam, & impulſum cœlitus illabi, quo totis præcordiis intimè commoveretur. Labori, & orationi intentus, modicum dabat ſomno, & expertus eſt, ſibi dormienti à DEO infuſam tantam homiliarum Divi Chryſoſtomi peritiam, ut illo licèt antea nunquam lecto ità concionaretur, ac ſi totum abſumpſiſſet. Tantus cùm eſſet, indignum tamen Societatis inſtrumentum ſemper, & animitus ſe reputabat.

3. Coloniæ in Germania, an. 1574. P. Leonardus Keſſelius, Belga. P. Franciſci Stradæ concionibus Societati genitus. Vir potens docendo, & agendo, præſertim in Colonia Agripina ab hæreſi ſervanda. Cùm ibidem peſte infectis

fectis ſerviret, non animas tantùm, ſed corpora quoque divinitus curabat; ut paſſim diceretur: quotquotKeſſelio ſua peccata aperirent, protinus convaleſcere, & vitam inſtituere magis probam. Incredibili tenebatur deſiderio S. Patrem tunc adhuc ſuperſtitem videndi, & alloquendi, ideóque petiit Romam eundi veniam. Sed S. Pater piis ejus votis cumulatè annuens, Coloniæ ſe illi videndum miraculosè præbuit.

4. Nangaſachi in Japonia, an. 1633. P. Antonius de Sonſa, Luſitanus, odiô fidei primò exilium perpeſſus, deinde redux in Japoniam, aquæ in os infuſæ, & violenter expreſſæ tormentô cruciatus, demum in foſſam capite deorſum ſuſpenſus, octavo die gravem illum agonem feliciter conſummavit.

5. Romæ, annô 1556. P. Andreas Fruſius, Gallus, non minùs vitæ probitate, quàm doctrinæ laude ſpectatiſſimus, adeò, ut illum S. Ignatius, aliíque Angelo ſimilem judicarent. Linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ erat peritiſſi-

Digitized by Google

ritiſſimus; Theologus, Jnriſperitus, Medicus, Mathematicus inſignis, præſtans Muſicus, præclarus Orator, Poëta ſummus, & omnino Extemporaneus. Exercitia Spiritualia S. Patris ex Hiſpanico Latinè interpretatus eſt, iſque liber primus è Societatis lucubrationibus, typis prodiit in lucem. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXVII. OCTOBRIS.

I. GOæ in India, annô 1578. ſolemnis celebratus eſt Baptiſmus. Sacro fonte abluta eſt Neptis Mealis Regis, ad quem regnum Idalcanis de jure pertinebat. Eodem die poſt meridiem Rudolphus Aquaviva viginti catechumenos luſtralibus aquis tinxit, inter quos fuit vir Maurus genere, qui nullius hominis ſuaſu, ex Balegate venit, baptizari petens, & quidem ſinè mora, quod diceret ſe neſcire, quando eſſet moriturus. Factum ſatis pio deſiderio. Ecce autem ſtatim à baptiſmo tantô ſanguinis profluviô ſoluta illi eſt narium vena, ut anima corpore ſoluta, tempore eodem, & militantem, & triumphantem ingreſſa ſit Eccleſiam,

DEO

Digitized by Google

DEO divitias bonitatis ſuæ mirabiliter ſpargente. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4. lib. 6. n. 228.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Valentiæ in Hiſpania, an. 1615. P. Petrus Bellidus, Hiſpanus. Orationi præter horam ordinariam duas alias dabat manè, veſperi tot, quot obedientia, & ratio officii permittebat. Incipiebat Meditationem à Chriſti Paſſione, deinde ad attributa divina mentem erigebat, denique voluntatem ſuam divinæ mactabat in holocauſtum; viſus ab oratione prodire toto vultu illuſtri. Multos monuit de rebus ſecretiſſimis. Sub mortem dicente quodam: *Surſum corda;* reſpondit: Jam eſt ibi. Perſona quædam ſanctitatis opinione illuſtris, cùm rogâſſet Dominum: an omnes noſtri, qui in eo Collegio degebant, ſalvi eſſent futuri, & an cum Purgatorio? Reſponſum accepit: Salvandos omnes, ſed três tantùm ſinè Purgatorio, inter quos Pater Bellidus. Hoc cùm Patri Petro ſub mortem referret Superior,

rior, lætus ſubjunxit: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, & felix deceſſit.

3. Burdigalæ in Gallia, annô 1620. P. Guilielmus Bailius, Gallus. Mirabili inſtructus erat vi ad agendum cum hæreticis ità, ut pauci cum illo agentes abierint non converſi. Vocatus ad ægros diſponendos ad mortem, antequam domo prodiret, inclementer ſe pro illis cædebat. Ad pulpitum ſacrum non aſcendebat, niſi acri flagellatione præmiſſa, ciliciô indutus, & linguâ per aquam luſtralem expiatâ. Santonas Calvini erroribus infectiſſimos, eo purgavit ſtudio, ut à S. Eutropii, Santonum Apoſtoli temporibus nullus viſus ſit, ità Religionis negotium promoviſſe. Magorum, Sagarúmque artes tam ſolerter deprehendebat, ut nunquam aberrârit. In Sacrificio divino, cùm Venerabilem hoſtiam communicaturus manu tenebat: Da mihi, ajebat, Domine JESU animas, pro quibus victima factus es ſalutaris. Zelo animarum, & celebritate nominis ſui, eò devenit, ut velut proverbiô appellarentur *Bailii*;

qui

Digitized by Google

qui in eo genere maximè ſtrenui eſſent. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

4. Romæ, annô 1705. P. Thyrſus Gonzalez, præpoſitus Generalis, Hiſpanus. Societati præfuit annis 18. communi judicio, & fama, etiam Curiæ Romanæ, Vir Sanctus, & Doctiſſimus. Societatem gubernavit juxta inſtituti rigorem, accuratus in munere ſuo, humanorum negligens reſpectuum, in adverſis fortis, & conſtans.

## XXVIII. OCTOBRIS.

I. NAtalis eſt hic dies Collegii Germanici in Urbe, S. Ignatii zelo, & cura primùm conditi. Cœptum eſt nobiliſſimum hoc opus ſub Julio III. Pontifice, ſuadente Cardinale Morono, qui Nuncium Apoſtolicum in Germania egerat, operam verò, curam, & dexteritatem omnem impendente Ignatio. Nullum enim viſum eſt præſentius ſubſidium ad juvandam inclytam Nationem Germanam, ab hæreſi ferè oppreſſam, quàm ſi in ipſa Roma, velut ſinu Magiſtræ gentium, educaren-

rentur, & bonis literis, moribúsque formarentur juvenes Germani, qui doctrina ſana, & zelo Apoſtolico Patriæ ſubvenirent. Collecti ſunt initio juvenes quatuor ſupra viginti, quibus à Pontifice juſſus eſt S. Pater ſcribere leges vivendi, & ſtudendi, totámque Domum per ſuos gubenare. Sumptus neceſſarios benignè ſuppeditabat Pontificis, & quorundam Cardinalium liberalitas. Sed brevì factum eſt, ut tam præclarè cœpta penè conciderent; ſublato è vivis Julio Pontifice. Paulus enim Quartus, ortô inter ipſum, & Imperatorem bellô, ſubſidia conſueta ſubtraxit, Cardinalium quoque largitiones in publica annonæ caritate deſinebant; nec deerant ex ipſiſmet, qui Ignatio ſuaderent ejus Collegii diſſolutionem temporibus tam iniquis. At illi mens fuit alia, támque generoſa; ut Cardinali Auguſtano repoſuerit: *Subtrahant ſe omnes, quos ea cura gravat; ſuſtinebo ſolus, etiamſi me venumdari propterea oporteret.* Et ſuſtinuit juvante DEO. Jnvenum enim jam non paucis auctorum partem aman-

amandavit ad varia Collegia noſtra extra urbem, partem in urbe detinuit, ſuiſque impenſis aluit, etiam cùm res ſatis anguſtæ domi eſſent. Proſpiciebat enim divinitus edoctus, fore tempus, quô id Collegium, ut numero personarum, ità reddituum copia abundaret, creſceretque in ſummam Eccleſiæ Germanæ utilitatem, hæreſeos autem ruinam. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 4. n. 18. Orland. hiſt. Soc. p. 1. lib. 12. n. 8.*

2. In Hiſpania ſplendidum Societati, imò univerſæ Eccleſiæ ortum eſt lumen, naſcente annô 1510. S. Franciſco Borgia, primogenito Joannis Ducis Gandiæ, futuro Societatis Præpoſito Generali Tertio. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 8. n. 37.*

3. Romæ, annô 1568. B. Stanislaus Koſtka, poſtquam à laborioſiſſimo itinere per aliquot dies eſt refectus, die SS. Apoſtolis Simoni, & Judæ ſacro, Tyronibus Societatis in Domo Profeſſa eſt aggregatus. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib* [illegible] *62.*

[illegible] idem annô 1604. habita eſt coram

ram Clemente VIII. Congregatio, & Diſputatio 33. de Auxiliis Gratiæ. Voluit Pontifex diſputari de Scientia Media, quæſitúmque: *An S. Auguſtinus ante abſolutum Decretum Divinæ voluntatis agnoverit, dari in DEO cognitionem certam, & infallibilem contingibilium, dependentium à cauſa libera: qualem Molina DEO per Scientiam mediam tribuit?* Affirmativè reſpondit P. Baſtida, latéque probavit ex Sacris literis, & S. Auguſtino. *Eleuther. hiſt. de Aux. lib. 5. cap. 43.*

5. Annô 1707. Pontifex Maxim. Clem. XI. epiſtolam dedit ad M. Ducem, ſeu Czarum Moſchoviæ Petrum Alexewicium, qua ſignificat: multum ſolatii ſe cepiſſe, ubi ejus Ablegatus declaravit: ipſum conſtituiſſe, Catholicis per univerſas ditiones ſuas liberum & publicum concedere Religionis ſuæ exercitium, inſuper fundare Conventum PP. Capucinis, & Collegium PP. Societatis JESU, ad erudiendam bonis literis, moribúsque probis juventutem: *quod conſilium, inquit, magnam profectò populis tuis utilitatem eſt allaturum*; denique

Digitized by Google

que Miſſionariis Chinenſibus liberum permittere paſſum per terras ſibi ſubjectas. *Ex literis Româ datis.*

*Eodem die obierunt.*

6. In India Orientali, annô 1568. P. Franciſcus Lopez, Luſitanus. Poſt multos animarum causâ exantlatos labores, cùm Cocinô Goam navigaret, à Mauris comprehenſus, & multum, diúque ſolicitatus eſt, ut ad Mahometem deficeret; Execranti impium facinus, haſta in pectus adacta, caput acinace fiſſum, corpus in mare projectum.

7. In mari. 1596. P. Georgius Vallier, & P. Franciſcus Roſillus, Hiſpani. Cum Exercitu Martini de Padilla in Angliam navigare juſſi, horrida tempeſtate noctu involuti ſunt. Deficiente evadendi ſpe, Patres omni, qua poterant ope, juvabant perituros, donec ipſi quoque haurirentur. Pauci, qui variâ induſtriâ evaſerunt, teſtati ſunt: in denſiſſimis illis tenebris, in quibus alter alterum videre non poterat, Patrum circumcurſantium, & Chriſti Crucifixi imaginem circumferentium, vultus tanto

Digitized by Google

to ſplendore fulſiſſe, acſi meridiano ſole illuſtrarentur.

8. Mexici in America, annô 1572. P. Franciſcus Bazanus, Hiſpanus. Indias expetiit, ut experimentô probaret, quemadmodum ipſe ajebat, an arbor inutilis eò translata aliquid boni fructûs ſit allatura. In Societate ſedulò ſplendorem familiæ Marchionum S. Crucis, & ingenium, doctrinámque occultavit, delituítque per quinque annos ſub Franciſci Aranæ nomine, inter labores domeſticos ſedulus, & modeſtiſſimus Coadjutor. Re poſtea comperta ſtudiis iterum eſt applicatus, & ſacris Ordinibus initiatus tranſmiſit in Americam, tam in itinere, quàm regione illâ inſignia præbens Viri Apoſtolici argumenta.

## XXIX. OCTOBRIS.

I. ANnô 1645. Congregatio Luſitana PP. Benedictinorum ſecuta exemplum Congregationis primariæ Caſſinienſis, Exercitiorum Spiritualium libellum vindicavit S. Igna-

tio; declaravítque eum non eſſe à quopiam Benedictino monacho, ut recens quidam Hiſtoriæ Benedictinæ author perperam ſcripſerat, compoſitum. Quam ſuam ſententiam publicô Decretô firmatam communicavit hoc die Societati. *Bartol. in vita S. Ignatii. lib. 1. n. 12.*

2. Vilnæ in Litvania, annô 1579. in Collegio Societatis per Valerianum Epiſcopum fundato, Studium Generale, ſeu Academicum, & Univerſitatem Scientiarum, bonarúmque Artium, inſtituit Gregorius XIII. à *Societate in omnibus, ac per omnia, moderandam, ac gubernandam*: illíque Privilegia quarumvis aliarum univerſitatum gratiosè conceſſit. *Bullar. Cherub. Conſtit. 102. Gregor. XIII. incip. dum attenta, &c.*

3. In litore Malabarico P. Antonius Abrerus vela faciebat cum P. Bernardino Sinenſi. Orta ſubitò Cocinum inter, & Culanum hac die 1611. fœda tempeſtas claſſem ſex navigiis majoribus, & aliis minoribus bene multis conſtantem, & Aſiaticis onuſtam mercibus fregit. P. Abrerus ducentos E-

thnicos,

thnicos, nullis antè monitis, & adhortationibus victos, ad ſacrum baptiſma perduxit. P. Bernardinus militesque omnes, quorum ingens erat numerus, ſalutari confeſſione expiavit, neque ſuæ priùs vitæ conſulere ſuſtinuit, quàm eorum ſalutem ſempiternam in tuto collocâſſet. Everſa demum navi jactabatur undis, cum ad B. Ignatium ore, animóque converſus, cernit oblatam ex improviſo adnatare trabem. Huic ſe applicat, pérque iratos fluctus diu jactatus ad littoris cautes ejicitur. Exciverat indigenas procellæ fragor, & prædæ ſpes. Ab iis haud dubiè ſpoliandus, & necandus Ignatium rurſus appellat, cujus ope mitigata barbarorum feritas incolumem accepit ad littus. Servatam Superûm beneficio vitam dolor propemodum ademit. Paululum in litore proceſſerat, cùm incidit in cadaver Socii chariſſimi P. Antonii Abreri. Triſte, ac dulce onus mœrens ad PP. Franciſcanos deportavit, quorum in æde ſacra ſepultum eſt. *Juvencius fol. 486.*

## *Eodem die obierunt.*

4. In Japonia prope Fuximam annô 1633. P. Matthæus de Couros, Luſitanus, vir verè Apoſtolicus, tam in agendo, quàm patiendo. Eccleſiam illam non ſolùm excoluit maximis laboribus, ùt Miſſionarius: ſed etiam pro Epiſcopo gubernavit annis 9. Societati Japonicæ bis præfuit Præpoſitus Provincialis, temporibus difficillimis, & ardente perſecutione. Admiranda ſunt Divinæ Providentiæ argumenta, quibus inter ſumma, & aſſidua pericula famulum ſuum protexit, ad ſolatium afflictæ illius Eccleſiæ. Jam per montium inacceſſorum juga, per ſylvas, & vepreta vagabatur, ut inſtantes falleret exploratores; jam flumina, & maria perrabat, jam per alias, & alias Provincias irrequietus curſitabat. Aliquando in cæco ſubterraneo ſpecu per menſes octo commoratus eſt; ſubinde ſatellites fugiens in arcta delituit latebra, qualem memoratur S. Felix ſubiiſſe, araneo opere repente prætextam. Inter

tot

tot vitæ diſcrimina, & quotidianas mortes tabeſcens, decrevit tandem indulgere veteribus deſideriis, quibus actus fuit in Japoniam, & Meacenſi Magiſtratui ultro ſe ſiſtere: ſi fortè placeret DEO, ut inter flammas pateret cœlum. Sed aliter DEO viſum. Mox adfuit quiſpiam, qui evocatum P. Matthæum ad juvandum hominem leproſum, in ſemoto mapali degentem ex urbe deduxit ad ægrum: ubi ipſemet, ærumnis fractus placidè exſpiravit, Japonicæ ſuæ expeditionis annô 43. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

5. Antverpiæ in Belgio, annô 1625. cùm in populum magna ſtrage graſſaretur lues contagioſa, hoc die glorioſè occubuit Thomas Verleyn Belga, Coadjutor, unus è 15. heroibus, qui in ea urbe ſub vexillo charitatis meruerunt, & felici clade ſublati ſunt.

## XXX. OCTOBRIS.

I. GRegorius XIII. annô 1576. confirmavit, extendítque Privilegium Societatis, ædificandi, & habitandi



Digitized by Google

qui in eo genere maximè ſtrenui eſſent. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

4. Romæ, annô 1705. P. Thyrſus Gonzalez, præpoſitus Generalis, Hiſpanus. Societati præfuit annis 18. communi judicio, & fama, etiam Curiæ Romanæ, Vir Sanctus, & Doctiſſimus. Societatem gubernavit juxta inſtituti rigorem, accuratus in munere ſuo, humanorum negligens reſpectuum, in adverſis fortis, & conſtans.

## XXVIII. OCTOBRIS.

I. NAtalis eſt hic dies Collegii Germanici in Urbe, S. Ignatii zelo, & cura primùm conditi. Cœptum eſt nobiliſſimum hoc opus ſub Julio III. Pontifice, ſuadente Cardinale Morono, qui Nuncium Apoſtolicum in Germania egerat, operam verò, curam, & dexteritatem omnem impendente Ignatio. Nullum enim viſum eſt præſentius ſubſidium ad juvandam inclytam Nationem Germanam, ab hæreſi ferè oppreſſam, quàm ſi in ipſa Roma, velut ſinu Magiſtræ gentium, educa-

ren-

rentur, & bonis literis, moribúsque formarentur juvenes Germani, qui doctrina ſana, & zelo Apoſtolico Patriæ ſubvenirent. Collecti ſunt initio juvenes quatuor ſupra viginti, quibus à Pontifice juſſus eſt S. Pater ſcribere leges vivendi, & ſtudendi, totámque Domum per ſuos gubenare. Sumptus neceſſarios benignè ſuppeditabat Pontificis, & quorundam Cardinalium liberalitas. Sed brevì factum eſt, ut tam præclarè cœpta penè conciderent; ſublato è vivis Julio Pontifice. Paulus enim Quartus, ortô inter ipſum, & Imperatorem bellô, ſubſidia conſueta ſubtraxit, Cardinalium quoque largitiones in publica annonæ caritate deſinebant; nec deerant ex ipſiſmet, qui Ignatio ſuaderent ejus Collegii diſſolutionem temporibus tam iniquis. At illi mens fuit alia, támque generoſa; ut Cardinali Auguſtano repoſuerit: *Subtrahant ſe omnes, quos ea cura gravat; ſuſtinebo ſolus, etiamſi me venumdari propterea oporteret.* Et ſuſtinuit juvante DEO. Jnvenum enim jam non paucis auctorum partem

aman-

Digitized by Google

amandavit ad varia Collegia noſtra extra urbem, partem in urbe detinuit, ſuíſque impenſis aluit, etiam cùm res ſatìs anguſtæ domi eſſent. Proſpiciebat enim divinitus edoctus, fore tempus, quô id Collegium, ut numero perſonarum, ità redditiuum copia abundaret, creſcerétque in ſummam Eccleſiæ Germanæ utilitatem, hæreſeos autem ruinam. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 4. n. 18. Orland. hiſt. Soc. p. 1. lib. 12. n. 8.*

2. In Hiſpania ſplendidum Societati, imò univerſæ Eccleſiæ ortum eſt lumen, naſcente annô 1510. S. Franciſco Borgia, primogenito Joannis Ducis Gandiæ, futuro Societatis Præpoſito Generali Tertio. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 8. n. 37.*

3. Romæ, annô 1568. B. Stanislaus Koſtka, poſtquam à laborioſiſſimo itinere per aliquot dies eſt refectus, die SS. Apoſtolis Simoni, & Judæ ſacro, Tyronibus Societatis in Domo Profeſſa eſt aggregatus. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 4. n. 62.*

4. Ibidem annô 1604. habita eſt coram

ram Clemente VIII. Congregatio, & Diſputatio 33. de Auxiliis Gratiæ. Voluit Pontifex diſputari de Scientia Media, quæſitúmque: *An S. Auguſtinus ante abſolutum Decretum Divinæ voluntatis agnoverit, dari in DEO cognitionem certam, & infallibilem contingibilium, dependentium à cauſa libera: qualem Molina DEO per Scientiam mediam tribuit?* Affirmativè reſpondit P. Baſtida, latéque probavit ex Sacris literis, & S. Auguſtino. *Eleuther. hiſt. de Aux. lib. 5. cap. 43.*

5. Annô 1707. Pontifex Maxim. Clem. XI. epiſtolam dedit ad M. Ducem, ſeu Czarum Moſchoviæ Petrum Alexewicium, qua ſignificat: multum ſolatii ſe cepiſſe, ubi ejus Ablegatus declaravit: ipſum conſtituiſſe, Catholicis per univerſas ditiones ſuas liberum & publicum concedere Religionis ſuæ exercitium, inſuper fundare Conventum PP. Capucinis, & Collegium PP. Societatis JESU, ad erudiendam bonis literis, moribúsque probis juventutem: *quod conſilium, inquit, magnam profectò populis tuis utilitatem eſt allaturum*; denique

que Miſſionariis Chinenſibus liberum permittere paſſum per terras ſibi ſubjectas. *Ex literis Româ datis.*

*Eodem die obierunt.*

6. In India Orientali, annô 1568. P. Franciſcus Lopez, Luſitanus. Poſt multos animarum causâ exantlatos labores, cùm Cocinô Goam navigaret, à Mauris comprehenſus, & multum, diúque ſolicitatus eſt, ut ad Mahometem deficeret; Execranti impium facinus, haſta in pectus adacta, caput acinace fiſſum, corpus in mare projectum.

7. In mari. 1596. P. Georgius Vallier, & P. Franciſcus Roſillus, Hiſpani. Cum Exercitu Martini de Padilla in Angliam navigare juſſi, horrida tempeſtate noctu involuti ſunt. Deficiente evadendi ſpe, Patres omni, qua poterant ope, juvabant perituros, donec ipſi quoque haurirentur. Pauci, qui variâ induſtriâ evaſerunt, teſtati ſunt: in denſiſſimis illis tenebris, in quibus alter alterum videre non poterat, Patrum circumcurſantium, & Chriſti Crucifixi imaginem circumferentium, vultus tanto

to ſplendore fulſiſſe, acſi meridiano ſole illuſtrarentur.

8. Mexici in America, annô 1572. P. Franciſcus Bazanus, Hiſpanus. Indias expetiit, ut experimentô probaret, quemadmodum ipſe ajebat, an arbor inutilis eò translata aliquid boni fructûs ſit allatura. In Societate ſedulò ſplendorem familiæ Marchionum S. Crucis, & ingenium, doctrinámque occultavit, delituítque per quinque annos ſub Franciſci Aranæ nomine, inter labores domeſticos ſedulus, & modeſtiſſimus Coadjutor. Re poſtea comperta ſtudiis iterum eſt applicatus, & ſacris Ordinibus initiatus tranſmiſit in Americam, tam in itinere, quàm regione illa inſignia præbens Viri Apoſtolici argumenta.

## XXIX. OCTOBRIS.

1. ANnô 1645. Congregatio Luſitana PP. Benedictinorum ſecuta exemplum Congregationis primariæ Caſſinienſis, Exercitiorum Spiritualium libellum vindicavit S. Ignatio;

tio; declaravítque eum non eſſe à quopiam Benedictino monacho, ut recens quidam Hiſtoriæ Benedictinæ author perperam ſcripſerat, compoſitum. Quam ſuam ſententiam publicô Decretô firmatam communicavit hoc die Societati. *Bartol. in vita S. Ignatii. lib. 1. n. 12.*

2. Vilnæ in Litvania, annô 1579. in Collegio Societatis per Valerianum Epiſcopum fundato, Studium Generale, ſeu Academicum, & Univerſitatem Scientiarum, bonarúmque Artium, inſtituit Gregorius XIII. à *Societate in omnibus, ac per omnia, moderandam, ac gubernandam*: illíque Privilegia quarumvis aliarum univerſitatum gratiosè conceſſit. *Bullar. Cherub. Conſtit. 102. Gregor. XIII. incip. dum attenta, &c.*

3. In litore Malabarico P. Antonius Abrerus vela faciebat cum P. Bernardino Sinenſi. Orta ſubitò Cocinum inter, & Culanum hac die 1611. fœda tempeſtas claſſem ſex navigiis majoribus, & aliis minoribus bene multis conſtantem, & Aſiaticis onuſtam mercibus fregit. P. Abrerus ducentos E-

thnicos,

thnicos, nullis antè monitis, & adhortationibus victos, ad ſacrum baptiſma perduxit. P. Bernardinus milites; omnes, quorum ingens erat numerus, ſalutari confeſſione expiavit, neque ſuæ priùs vitæ conſulere ſuſtinuit, quàm eorum ſalutem ſempiternam in tuto collocâſſet. Everſa denum navi jactabatur undis, cum ad B. Ignatium ore, animóque converſus, cernit oblatam ex improviſo adnatare trabem. Huic ſe applicat, pérque iratos fluctus diu jactatus ad littoris cautes ejicitur. Exciverat indigenas procellæ fragor, & prædæ ſpes. Ab iis haud dubiè ſpoliandus, & necandus Ignatium rurſus appellat, cujus ope mitigata barbarorum feritas incolumem accepit ad littus. Servatam Superûm beneficio vitam dolor propemodum ademit. Paululum in litore proceſſerat, cùm incidit in cadaver Socii chariſſimi P. Antonii Abreri. Triſte, ac dulce onus mœrens ad PP. Franciſcanos deportavit, quorum in æde ſacra ſepultum eſt. *Juvencius fol. 486.*



Digitized by Google

## *Eodem die obierunt.*

4. In Japonia prope Fuximam annô 1633. P. Matthæus de Couros, Luſitanus, vir verè Apoſtolicus, tam in agendo, quàm patiendo. Eccleſiam illam non ſolùm excoluit maximis laboribus, ùt Miſſionarius: ſed etiam pro Epiſcopo gubernavit annis 9. Societati Japonicæ bis præfuit Præpoſitus Provincialis, temporibus difficillimis, & ardente perſecutione. Admiranda ſunt Divinæ Providentiæ argumenta, quibus inter ſumma, & aſſidua pericula famulum ſuum protexit, ad ſolatium afflictæ illius Eccleſiæ. Jam per montium inacceſſorum juga, per ſylvas, & vepreta vagabatur, ut inſtantes falleret exploratores; jam flumina, & maria pererrabat, jam per alias, & alias Provincias irrequietus curſitabat. Aliquando in cæco ſubterraneo ſpecu per menſes octo commoratus eſt; ſubinde ſatellites fugiens in arcta delituit latebra, qualem memoratur S. Felix ſubiiſſe, araneo opere repente prætextam. Inter

tot

Digitized by Google

tot vitæ diſcrimina, & quotidianas mortes tabeſcens, decrevit tandem indulgere veteribus deſideriis, quibus actus fuit in Japoniam, & Meacenſi Magiſtratui ultro ſe ſiſtere: ſi fortè placeret DEO, ut inter flammas pateret cœlum. Sed aliter DEO viſum. Mox adfuit quiſpiam, qui evocatum P. Matthæum ad juvandum hominem leproſum, in ſemoto mapali degentem ex urbe deduxit ad ægrum: ubi ipſemet, ærumnis fractus placidè exſpiravit, Japonicæ ſuæ expeditionis annô 43. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

5. Antverpiæ in Belgio, annô 1625. cùm in populum magna ſtrage graſſaretur lues contagioſa, hoc die gloriosè occubuit Thomas Verleyn Belga, Coadjutor, unus è 15. heroibus, qui in ea urbe ſub vexillo charitatis meruerunt, & felici clade ſublati ſunt.

## XXX. OCTOBRIS.

I. GRegorius XIII. annô 1576. confirmavit, extendítque Privilegium Societatis, ædificandi, & habitandi

tandi ubique, etiam intra cannas aliorum Ordinum. *Bullar. Soc.* Conſtit. incip. *Salvatoris Domini noſtri, &c.*

2. Inſtitutam in Collegio Romano, recenter fundato à Gregorio XIII. Lectionem de Controverſiis fidei, primus hoc die, annô 1576. tradere cœpit P. Robertus Bellarminus, aptiſſimus ad id muneris viſus, tum ob ingenii, ac eruditionis excellentiam, tum ob linguarum Græcæ, & Hebraicæ peritiam, & comparatam ſeptennio Lovanii in Belgio, agendi cum hæreticis experientiam. Nec feſellit opinionem de ſe conceptam. Ità rem egit, ut non ſolum quotidianis lectionibus ſatisfaceret: ſed pro vaſtis Controverſiarum ſuarum voluminibus multam coacervaret materiam. *Petraſan. in vita lib. 2. c. 5.*

3. In Valle Tellina Collegium recenter inchoatum, annô 1560. diſſipatum eſt à Griſonibus, ſeu Rhœtis, Vallis dominis, hæreſi jam infectis, ac pro ea tam ardenter zelantibus, ut ſi alicubi vel unus eſſet Lutheranus, pro ipſo daretur prædicans, atque ex publico

blico aleretur. Socii, quamvis ſub titulo Magiſtrorum tantùm eſſent ingreſſi, & à Concionibus publicis abſtinerent, exturbati. Sed dum in una valle Societatem non tolerat ſatan, DEUS illi aditum, ſtabilémque poſſeſſionem aperuit in pluribus vicinæ Sabaudiæ, imò in tota ditione Ducis Sabaudii per Antonium Poſſevinum, non pridem Societati aggregatum. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 4. num. 56. &c.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Moguntiæ in Germania, annô 1620. P. Joannes Sylvorſtius, Belga, Groeningæ Catholicis operam præclaram præſtitit, non minore fructu, quàm labore. Ab hæreticis igitur raptus in vincula, viſo eminus carcere, procumbens in genua, gratias DEO retulit pro tanto honore. Pro tribunali fidenter reſpondit: ſe non minùs auſum iſthuc venire ad hæreticos convertendos, quàm ipſi ſunt auſi Antverpiam ire pro Catholicis pervertendis. In periculis, & anguſtiis magnâ fiduciâ



Digitized by Google

DEO dicere ſolebat : *Tuus ſum ego, ſalvum-me fac.*

5. Poſonii in Hungaria, annô 1634. P. Georgius Kaldi, Hungarus, vir acris ingenii, eloquentiæ, & virtutis. Multa egregiè dixit, ac ſcripſit contra hæreticos. Biblia ſacra ab illis depravata, reſtituit integritati ſuæ, & Hungarico idiomate edidit. Gabrielem Bethlehemum, Tranſylvaniæ principem victoriis inſolentem, palàm Tyrnaviæ corripuit, quòd tot millia Chriſtianorum Turcis prodidiſſet. Eapropter extrema illi timebantur, ſed ea libertate majorem ab eo principe retulit æſtimationem, & honorem, donatus etiam luculento pecuniæ ſubſidio pro Bibliorum ſacrorum impreſſione.

6. Caltagiroriæ, annô 1622. P. Franciſcus Farſia, Italus. Licentiùs vivens in ſæculo, cùm fortè occurriſſet Venerabili Euchariſtiæ, quæ per plateam deferebatur, erumpens indè radius ità hominem perſtrinxit, mutavítque, ut ſubitò in alium mutatus, ad Societatem ſe receperit, & plures exemplô ſuô ad fru-

Digitized by Google

frugem reduxerit. Eximius deinceps fuit in cultu SS. Euchariſtiæ, ac potiſſimùm in iteranda crebriùs communione ſpirituali, & dignabatur illum ſubinde DEUS cœleſtibus viſis, & ſolatiis, ſapore quoque, & odore admirando in uſu ejuſdem Sacramenti.

## XXXI. OCTOBRIS.

I. POſtquam Pechini apud Sinas, poſt obitum P. Matthæi Riccii, viri Apoſtolici, & quaſi Parentis Eccleſiæ Sinenſis, multo labore, & ſingulari Imperatoris gratia, Villam ſuburbanam, valdè opportunam, pro ejusdem ſepultura comparârunt Socii ( non enim licet in urbibus ſepelire defunctos ) delatum eſt illuc defuncti corpus, non eâ pompâ, quâ Sinæ utuntur, & eſt triumpho, quàm funeri ſimilior; ſed eo apparatu, qui Chriſtianos, & Religioſam modeſtiam decebat: ſolemnibus verò exequiis dicta dies prima Novembris. Interim tumulo paratus eſt locus, divinóque conſiliô factum: ut qui per univerſam

 vitam

vitam expugnârat idola, mortuus ea ſecum ſepeliret. Erat in ea Villa ædificium non inelegans, in cujus aula primaria ara conſurgebat ingens è lapide; cui inſidebat monſtrum grande, à capite ad calcem inauratum (quod Sinæ *Ticam* vocant, atque telluri, theſauriſque præeſſe fabulantur) in capite coronam, manu ſceptrum geſtans. Plutonem veterum gentilium Europæorum referebat. In utroque pariete pičti videbantur decem Inferni principes, qui reorum ſcelera cognoſcentes, ad meritas damnabant pœnas. Ante eos ſtabant dæmones multò terribiliores, quàm nos pingimus, variis pœnalium inſtrumentorum ſignis inſtručti, atque horribiles. Damnatorum quoque ſupplicia ità repræſentabantur, ut ſpectantibus horrorem incuterent; nam alii in lecticis ferreis torrebantur, alii ferventi oleo coquebantur, alii in fruſta diſcerpebantur, alii medii ſecabantur, alii à canibus lacerabantur, &c. Ceterùm hæc inferorum terriculamenta dæmon ità compoſuit: ut non

ſo-

ſolùm ſceleratos non coërcerent, ſed incitarent. Facillimum enim illa evadendi modum adſtruebant: ſi nimirum certo ritu adoraretur idolum, & miniſtris ejus aliquid ſtipis offerretur. Idola igitur omnia dejecta, concremata, & deleta; ara ipſa diruta, parietum in fano pictura calce incruſtata eſt. Tum in recenter erecta decentiore ara elegans Salvatoris noſtri imago hoc die collocata eſt; tumulus aptatus, in quo deponeretur defuncti corpus, & locus pro cœmiterio deſignatus. *Trigautius in expeditione Sinenſi lib. 5. cap. 21.*

*Eodem die obierunt.*

2. Corcagiæ in Hibernia, an. 1604. Dominicus Colinus, Coadjutor, Hibernus. Claro ſatus genere, contra Sectarios Centurio militavit in Gallia, deinde in Hiſpania Dux claſſiarius per annos octo; ſemper, & miles bonus, & vir probus. In Societatem receptus, miſſus eſt in Hiberniam ad populares ſuos juvandos, ubi captus ab hæreticis, variéque ſolicitatus, ut ad eorum caſtra tranſiret, cùm fortis in fide, & religio-

 no

ne perſiſteret, crudeliter tortus, & manibus poſt terga revinctis, in veſte Societatis ad patibulum raptus eſt. E ſcalis graviſſimè monuit Catholicos, nè ſpe, metúve, aliísque hæreticorum artibus ſinerent ſe perverti. *Suſpicite*, inquiebat, *in cœlum, & priſcam fidem, quam præclari majores veſtri ſunt profeſſi, non degeneres perſeveranter conſervate, pro quâ, & ego nunc, ùt videtis, mortem oppeto.* Mox deturbatus, & excarnificatus eſt.

3. Majoricæ, annô 1617. Alphonſus Rodriquez, Hiſpanus, notæ Sanctitatis Coadjutor, à Chriſto Domino, & ejus Matre ſanctiſſima tenerrimè dilectus, plurimíſque ſingularibus gratiis ornatus. Inviſerunt aliquando ægrotantem, diríſque doloribus cruciatum, atque ad lectuli pedem conſidentes, dulci colloquio recreârunt, ac perſanârunt. Pia ſimplicitate dixit aliquando: *O Mater DEI, ſi tantum me amares, quantum ego te!* Reſpondit illico DEIpara: *Falleris, mi Alphonſe, plùs ego te amo, quàm tu me.* Aliàs, cùm Patris cujuſdam comes fuiſſet, ac largo ſudore

ma-

madidus orationi inſtaret, DEIpara V. ſudorem illi, lacrymáſque abſterſiſſe traditur. Multa illi arcana, & futura revelata; & vix quidpiam erat, quod oratione non impetraret. Merebatur has cœli gratias,& ſolatia profundiſſimæ ſui demiſſione, & acri mortificatione. Dirè ſe flagellabat, jejuniis macerabat, cibos ſale non condiebat, in omnem ſe affligendi occaſionem aſſiduè intentus.

4. Lugduni, in Gallia, ânnô 1663. P. Theophylus Raynandus, Gallus Niceenſis. Quanta fuerit viri eruditio, patet tum ex 19. Tomis in folio de editis materiis diverſiſſimis, tum ex elogiis, quibus eum honorârunt doctiſſimi, primæque dignitatis Scriptores. Doctrinam tantam ornârunt non mediocria virtutum decora. Regularum religioſarum inprimis obſervans, cibi parcus, caſtimoniæ tam ſtudioſus, ut neceſſaria cum mulieribus colloquia verbis admodum paucis definiret. Vocationis ſuæ tenaciſſimus, etſi ſubinde nec adverſa deeſſent, nec ſolicitatores, qui magna, & ſplendida promittebant extra

trà Societatem : datam ei fidem, omnibus aliorum promiſſis habuit potiorem. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

# I. NOVEMBRIS.

I. PAulus III. Pont. Max. annô 1549. Privilegia plurima Societati largitus eſt ad melius regimen ejuſdem, & miniſteria, per Conſtit. incip. *Licèt debitum paſtoralis officii, &c.* Bullar. Soc.

2. In India, cùm Chiaulenſes Chriſtianos viſeret P. Gaſpar Barſæus, vir ſanctitatis famâ, & zelô Apoſtolicô clarus; occurrit venienti cum clero populus, omiſſis, quos in eum feſtum diem adornârant, ludis cannarum, & taurorum; ſupplicant, urgéntque, ut de ſacro pulpito audiri, nè gravetur. Excuſat ille, quòd id ſinè Vicarii offenſa fieri non poſſit. Sed tumultu à populo concitato, miſit ipſe Vicarius, petiítque, ut populo ſatisfaceret. Auditus eſt extemporaneus Orator, eo guſtu, ut iterum audiri mereretur. Nondum finierat prandium, cùm adfuit vir primarius, qui civitatis nomi-

na

ne inſtitit, ut nè gravaretur iteratò ſamentem populum verbô DEI reficere, quandoquidem ejus præſentiâ diu frui non liceret, Vicario aſſentiente, ducitur in campum apertum, cùm templum nullum caperet auditorem. Ubi excitatum pulpitum conſcendit, eo verborum pondere, & affectuum ardore dixit: ut vaſtum illud auditorium, plorantium fletu, & miſericordiam poſcentium clamore aſſiduè reſonaret. Finita concione primores urbis flexo poplite, cum lacrymis obſecrârunt, ut S. Sebaſtiani templum, & annuum reditum pro fundatione Collegii admitteret. Sed feſtinanti ad alia de his tractare non licuit. *Bartolus Aſiat. hiſt. lib. 5. num. 24.*

3. Apud Sinas ſolemni apparatu celebratæ ſunt exequiæ P. Matthæi Riccii, de quo herì. Quamvìs enim Sanctis Omnibus feſtus eſſet is dies, quia tamen Sinenſes, etiam Chriſtiani ſolemniſſimè, & non lugubri paratu, celebrant funera ſuorum, viſum eſt magno illi Servo DEI id honoris non de-

ne-

Digitized by Google

negandum. Convenêre Neophyti omnes, cereis ſuis, ſuffitibúsque inſtructi ad agendam celebritatem; Miſſa prima de Omnibus Sanctis, qua potuit, pompa, & Muſicorum concentu, cantata eſt, eâ peractâ, Patris tumbâ è loco, ubi aſſervabatur, in ædem ſacram delata, cœptúmque recitari Officium Defunctorum, cui altera Miſſa funebris ſucceſſit, ac denique poſt ſolitos Eccleſiæ ritus, in præparato fornice Defuncti depoſitio, inter veras, largáſque Chriſtianorum, præſertim Doctoris Pauli, unius è primariis Mandarinis lacrymas. *Trigautius in Expedit. Sinenſi lib. 5. cap. 21.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Ximabaræ in Japonia, annô 1622. P. Petrus Paulus Navarrus, Italus, cum duobus Sociis Japonibus, Dionyſio Fugixima, & Petro Onizucca, odiô fidei combuſti. Pro morte tam glorioſa paravit ſe P. Petrus præmiſſis Confeſſione generali, & Exercitiis S. Patris. Auditâ mortis ſententiâ, Roſario è collo pendente

dente, velut torquatus, cilició inſuper armatus, ivit ad rogum, Sociis præcinens Litanias; ceciderúntque felices victimæ Fidei, & Charitatis Chriſtianæ.

5. Limæ in India Occidentali, annô 1592. P. Joannes de Atienca, Hiſpanus. Inter orandum ardentiùs Valliſoleti, ſentire ſibi viſus eſt humeris ſuis inſidentem Indum, atque identidem flagitantem *Veni, & juva me, veni & juva me!* Ivit ſinè tergiverſatione, & viriliter juvit apud Peruanos, ſuperatis gravibus difficultatibus magno animo, prudentia, & zelo.

6. In Gallia propè Biterras, annò 1629. P. Claudius à S. Columba, Gallus. Cultui Venerabilis Sacramenti impenſiſſimè addictus, ſingulis propè horis illud viſitabat in Sacello domeſtico, ibíque etiam noctes magna ex parte ducebat inſomnes. Si aliquando ſacris operari non poſſet; Communione ſpirituali, ùt vocant, centies repetita per diem, damnum compenſare nitebatur. Occubuit peſtifera lue, quâ tactis in pago quodam operam præſtitit indefeſſam.

7. Eo-

7. Eodem in obſequio, annô 1618. felicem, & laborioſam animam poſuit Duaci P. Gerardus Vervianus poſtquam bis de contagioſa morte triumphavit ſuperſtes.

## II. NOVEMBRIS.

I. ANnô 1567. prima in Peruviam, Indiæ Occidentalis regionem, ſuſcepta eſt à Societate expeditio, poſtulante, urgente, & ſumptus omnes largè ſuppeditante Philippo II. Rege Hiſpaniarum. Ante octiduum parata jam profectione, ità Oceanus inſoleſcere cœpit, ut ab inferorum ſatellitibus concitari videretur ad abſterrendos Evangelii præcones. Sed viros fortes, præſertim in cauſa pia non terrent, ſed animant pericula. Poſtquam Calendis Novembribus deferbuit mare, poſtridie vela data mitioribus jam ventis. Proſpera fuit, nec infructuoſa navigatio. Sociis vectores omnes, inter quos complures regii Miniſtri, ad eximiam modeſtiam, & pietatem componentibus. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 3. n. 265.*

2. Ro-

Digitized by Google

2. Romæ, annô 1578. Prælectiones Theologicas exorſus eſt P. Franciſcus Suarez, & quidem auſpicatiſſimè. Ipſum enim Pontificem Max. Gregorium XIII. Auditorem habere meruit primæ Lectionis ſuæ. Dedit id gratiæ Pontifex humaniſſimus, tum eminenti doctrinæ viri, quam fama ſecundiſſima longè, latéque celebrabat; tum excitandæ aliorum Auditorum aviditati. Primo aſpectu viſus eſt Suarez quibuſdam famâ ſuâ minor; quòd annum ſecundum ſupra trigeſimum nondum expléſſet, at ubi audiri, atque theſauros eruditionis ſuæ aperire cœpit, communi ſuffragio ſuperâſſe famam, & Pontificem auditorem meruiſſe, eſt pronunciatus. *Maffejus in vita cap. 8.*

3. Anno 1686. P. Carolus de Noyelle. Præpoſitus Generalis literis datis ad P. Thomam Ujeyski, olim Epiſcopum Chijovienſem, amplas ei gratias egit pro felici labore impenſo conciliandis Patribus Ordin. S. Baſilii, cum Illuſtriſſimo Ruſſiæ Metropolita, qui compluribus annis diſſidebant, nec vel

vel Nunciorum Apoſtolicorum induſtria, nec Curiæ Romanæ authoritate componi poterant. Commiſſum denique negotium ferè deſperatum Patri Thomæ, qui ſua comitate, prudentia, & ſanctimoniæ opinione ità partes circumegit, ut plenè, & huic, & illi fuerit ſatisfactum, & pax æternô decretô ſancita. *Brictius in vita cap. 41.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Duaci in Belgio, annô 1609. P. Georgius Colibrant, Belga, affligendi ſui ſingulariter ſtudioſus. Modum ponere juſſus tot ſuis mortificationibus, obedienter reſpondit, ſe quidem pariturum, ſed DEUM vices ſuas acturum, & ſuppleturum. Nec multum fluxit temporis, cùm acerbiſſimis calculi doloribus cruciari cœpit. Familiare illi fuit hoc acroama: *Ad vitam æternam.* Ad hanc dirigebat, & trahebat omnia.

5. In Germania, annô 1642. P. Laurentius Paſſokius, Sileſius. Præclaræ operæ in caſtris Catholicis poſitæ inſigne præmium tulit, mortem glorioſam.

Cùm

Cùm enim tribuni cujuſdam inLipſienſi pugna vulnerati, confeſſionem exciperet, ab hoſte hæretico victore deprehenſus, interrogatus eſt, quis eſſet? dixit ſe Sacerdotem eſſe Catholicum. Juſſus MARIAM Virginem DEIparam execrari, non tantùm renuit, ſed in amplas ejus laudes erupit. Gladiô igitur percuſſus, & glande plumbea trajectus, feliciter occubuit. In eadem acie, eodémque opere deprehenſus P. Matthæus Cramerus, Bohemus, ſimili nece ſublatus, ſimili laurea donatus eſt.

6. Granatæ in Hiſpania, annô 1611, P. Aloyſius Ponce Hiſpanus, Ducis de Arcos filius. Quantùm eminuit ſorte naſcendi, tantùm ſe deprimebat ſpiritu ſolidæ humilitatis, promptus ad omnium etiam abjectiſſima obſequia. Rerum terrenarum uſu ità ſe privavit, ut nihil etiam tenue acciperet, darétque, niſi petita priùs, & obtenta facultate. Confeſſionalem ſedem tam diligens occupabat, ut diceret, ſe niſi hoc titulo, non mereri panem quotidianum. A me-

medico monitus de morte imminente, *Benedictus*, inquiebat, *DEUS, qui me beneficiô tantô dignatus eſt, ut deſideratam illam horam videam, quâ moriar in ejus domo.*

# III. NOVEMBRIS.

I. FEcit potentiam in brachio ſuo Magnus Indiarum Apoſtolus Xaverius, illud Romam vehebatur ex India annô 1614. Æquum videbatur Claudio Aquavivæ, Præpoſito Generali, ut non ſola India gloriaretur novi Apoſtoli ſacro Corpore, ſed paret ſaltèm aliqua illius frueretur Europa. Juſſit ergo à Corpore adhuc integro, & incorrupto, Goæ quieſcente, præſcindi Brachium, ac Romam devehi. In itinere incidit navigium, quo ſacra lipſana vehebantur, modicum, & non armatum (cercurum vocant) in Batavos privatas, qui prædam conſpicati, harpyarum inſtar advolabant. Cùm non ſuppeteret modus evadendi, vel ſe defendendi Rector Domûs Probationis Goanæ, Sebaſtianus Gonzalez, qui ſacrum

crum pignus vehebat; arreptô Brachiô Xaverianô prodit ad navis marginem, & reliquis in genua procumbentibus, mandat hoſtibus jam jam aſſultum parantibus, nè propiùs accedant. Mira res! illico hoſtilis myoparo ità ſtetit defixus, ac ſi ſubito gelu mare duratum fuiſſet. Interim cercurus feliciter evaſit, attonitis hoſtibus, Romámque tenuit cum theſauro ſuo. *Bartolus in vita lib. 4. num. 40.*

2. Duacenium in Belgio Collegium exemit S. Pius V. annô 1568. ab omni Univerſitatis Duaci exiſtentis jurisdictione. Cùm enim Lectiones Scholaſticæ jam inchoandæ eſſent, & Illuſtriſſimi hoſpites invitati eſſent, miſit ad Collegium Magiſtratus Academicus, inhibendo: nè quid tentaretur, noſtri, ſi Scholas aperire vellent, debere ipſos primùm Academiæ juramentum præſtare; ſeu incorporari eidem. Compoſita res eſt ad tempus, donec Româ venirent reſponſa, permiſſúmque, ut ſcholæ inchoarentur. Interim S. Pontifex interpoſuit authorita-

Digitized by Google

ritatem ſuam, & miſſis ad Academiam literis, hac die datis, decrevit, declarávitque, ut Collegium cum omnibus Studioſis ſuis exemptum eſſet à jurisdictione Academiæ, & ſecundùm Inſtitutum ſuum liberè doceret juventutem. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 4. n. 208.*

3. Decreto 8. Congregationis Generalis XIV. ſtatutum eſt: ut quotannis per univerſam Societatem celebraretur Commemoratio omnium in Societate defunctorum, eo die, qui à Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum primus occurreret non impeditus; Sacerdotes omnes ſacrum facerent paratu nigro; ceteri verò Coronam, ſeu tertiam Roſarii partem recitarent pro iiſdem Defunctis in Societate.

## *Eodem die obierunt.*

4. Eboræ in Luſitania, annô 1608. P Antonius Pinas, Luſitanus. Nimiùm gracili cùm eſſet corpore, & à medicis vix tribus, aut quatuor annis victurus di-

diceretur, ad Societatem admiſſus non eſt. At ille medicis in faciem reſiſtens: Ego, inquiebat, & in Societate vivam, & vobis omnibus ſuperſtes ero, quod & evenit. Ter ſe ad obſequia peſtiferorum expoſuit, ſubiítque labores graviſſimos victor. Fratris Germani literas ità, ut venerant, obſignatas, per tres annos in cubiculo habuit, iis pro atramentario tegendo uſus.

5. Hiſpali in Hiſpania, annô 1609. P. Melchior de Saniuan, Hiſpanus. E tyrocinio ſuis reddi debuit, ut furentem Parentem, virum nobilem compeſceret, at ille votô conceptô ſe obligavit ad redeundum; id quod præſtitit. Gubernationi Collegiorum, & Provinciarum maximam ætatis partem impendit, eô memorabilis, quod mira ſuavitate acerrimus eſſet religioſæ diſciplinæ vindex. Quotidie diem claudebat mortis imminentis memoriâ, & meditatione.

6. Ingolſtadii in Germania, annô 1634. Michaël Alber, Germanus, Coadjutor. Strenuus in obſequio peſtiferorum, invidenda morte occubuit, poſt



Digitized by Google

amiſſos in eodem obſequio Socios quatuor: inter quos laudatur zelus Patris Thomæ Reſch, quòd intra 13. annorum ſpatium, recenſuerit ad centum, & undecim millia capitum, quæ pro ſacro pœnitentiæ tribunali à noxis ſuis abſolvit.

## IV. NOVEMBRIS.

I. FEſtum S. Caroli Borromæi Card. & Archiepiſcopi Mediolanenſis, ob oculos nobis ponit ejuſdem ſingularem, munificam, & conſtantem benevolentiam erga Societatem. Cùm ſacris Ordinibus initiatus, ſe ad primam hoſtiam DEO offerendam præpararet: adiit domum Profeſſam Romanam, in qua Sacris S. Ignatii Exercitiis excultus eſt. Poſt celebratum primum Miſſæ Sacrificium, ſecundum obtulit in Sacello ejuſdem domûs, quô S. Pater uſus eſt. Cùm ad ſanctiorem vitam aſpiraret, elegit pro directore P. Joannem Bapt. Riberam, cujus ductu maximis paſſibus ad culmen perfectionis tendebat. Primis Sacerdotii

ſui

ſui annis quolibet anno, poſtea bis in annos ſingulos animum excolebat Exercitiis S. Ignatii, ſemper adhibito è Societate directore aliquo, in ò alios quoque, quos poterat, inducebat ad eadem abſolvenda; ſpecialiter Clericos Seminarii ſui ſingulos iiſdem exerceri curabat, tum in ipſo ad illud ingreſſu, tum ante ſuſceptionem ſacrorum Ordinum, concinnavitque pro illis habitaculum multis diſtinctum cellis., cui titulum adſcripſit: *Aſceterion.* Quotieſcunque iter ſuſcipiebat, adeſſe ſibi voluit comitem è Societate, ac veſpere ab eo proponi puncta Meditationis. Confeſſario ordinariè utebatur Patre Adorno, quem ità reverebatur, ut tranſiens cubiculum ejus caput reverenter inclinaverit. Mediolani Collegium, & domum Profeſſam fundavit. Domum Probationis Aronæ; præterea author fuit, ut in Helvetia duo fundarentur Collegia: Lucernenſe, & Friburgenſe. Nec mori voluit ſinè aſſiſtente ſibi P. Adorno, cui poſt mortem glorioſus apparuit, prædixitque brevì ſe-

cuturum. *Lancicius tom. 2. Opuſc. 17. cap. 3. Nadaſi in Anno dier. Memor. 13. Jan. de P. Franciſco Adorno.*

2. S. Franciſcus Xaverius an. 1549. epiſtolam dedit ad Socios Goanos, in qua illos monet inprimis, ut in defectu Concionatorum ſtudeant populum ædificare probæ vitæ exemplis. *Boni,* inquit, *apud improbos vitæ exemplo aſſiduè concionantur, atque adeò plùs, quàm concionatores è ſuggeſtu ſæpe proficiunt; cùm longè plùs momenti ad permovendum ſit in factis, quàm in dictis,* Deinde obnixè commendat, ut ſui ipſorum curam habeant. *Magnopere hortor, ut vobis ipſi, quod caput eſt, primùm attendatis. Qui enim ſibi nequam eſt, cui bonus erit? Quomodo alios curare poteſt, qui ſeipſum negligit? Quomodo attentus, ac diligens erit in rebus alienis, qui eſt diſſolutus in ſuis, &c,? Epiſt. Veter. lib. 3. ep. 6.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Ulyſſipone in Luſitania, an. 1599. P. Petrus de Fonſeca, Luſitanus, magnum Societatis in Luſitania columen, tum

tum ob religioſam prudentiam, ac ſanctimoniam, tum ob doctrinam, & libros editos, tum ob res geſtas, ſive à privato, ſive à Rectore Conimbricenſi, Præpoſito Ulyſſiponenſi, Aſſiſtente Romano. Philippus II. Hiſpaniæ Rex maximis quibuſdam negotiis ipſum adeſſe voluit. Domos Orphanorum, & Catechumenorum, Seminarium quoque Hibernorum ſuâ induſtriâ erexit. Domum Converſarum inchoavit, Xenodochia ſtabilivit, Fratres B. Joannis DEI in Luſitaniam evocavit, & plura alia bono publico indefeſſus inſtituit. Miræ fuit modeſtiæ in opinione ſua ſubmittenda ſententiæ alienæ; miræ efficacitatis in tranquillandis mentibus perturbatis, miræ tranquillitatis in rebus turbidis, & afflictis. Si à quo offenſus fuiſſet: *Ego verò*, ajebat, *bene illi faciam, velit, nolit.* Omnis ejus vitæ ſeries inſtar horologii fuit: ità omnia ejus negotia in horas ſuas ſcitè diſtributa erant.

4. In Japonia, annô 1614. P. Jacobus de Meſquita, Luſitanus, quam an-



Digitized by Google

nis 48. magno labore excoluit. Tres Japonicorum Principum Oratores ad Obedientiam Gregorio XIII. Pontif. Max. deferendam deduxit inEuropam. Redux in Japoniam, cùm graviſſima perſecutio miſceret omnia, è regno proſcriptus, exul ærumnis confectus, in tenui piſcatoris caſa contabuit.

5. Syracuſis in Sicilia, annô 1621. Michaël Florius, Coadjutor, Italus. Quamvis eleganti, quem diuturno labore excoluerat, præeſſet horto? nullum illius fructum delibavit unquam. Ad extremam uſque ſenectam, veſperi ad ſanguinem uſque ſe cædebat quotidie. Sub agonem ipſius comparuit ad portam Collegii homo ignotus, qui compluribus accenſis facibus, eam ædium partem, in qua Michaël moriebatur, miro lumine illuſtravit.

## V. NOVEMBRIS.

I. SAnctus Xaverius è Japonia epiſtolam dedit annô 1549. ad Petrum de Sylva, Præfectum Malacenſem, quâ inter cætera commendat illi

Ja-

Japones pauperes, qui jam ſunt, ac futuri ſunt Chriſtiani. Utitur autem ingenioſo conceptu à lucroſa Luſitanorum negotiatione ducto. Quodſi, inquit, tantum mihi fidei tribueres, ut ſumere me ſineres officium tui in his locis Procuratoris, ſpondere auſim, effecturum me: ut quamcunque mihi commiſeris pecuniam, eam tibi plus quàm centuplicato fœnore repræſentem; ídque lucro à periculis itinerum & naufragiorum planè ſecuro. Scire aves, quòd hoc ſit genus compendioſiſſimæ nundinationis? Miſſis ambagibus dicam. Induc, ſodes, in animum, largiri nobis, quod dividamus egentibus harum terrarum Chriſtianis, qui modò ſunt, & qui mox fient. Hujus ſic collocatæ ſortis, ſpondeo fidejuſſore Chriſto, plus quàm centuplum in cœlo tibi reddendum, &c. *Epiſt. Veter. l. 5. ep. 15.*

2. Annô 1561. expediti à Pio IV. in Ægyptum ad Cophtorum Patriarcham, Alexandriam tenuerunt PP. Chriſtophorus Rodericus, & Baptiſta Elianus,

In itinere cùm Chriſtianos, qui eadem navi vehebantur, ad normam probi Chriſtiani facilè compoſuiſſent, non parum negotii habuerunt, in diſſolvenda prava quadam Sodalitate, quam inierant inter ſe decem nobiles juvenes. Creabatur ſingulis hebdomadis Præfectus, cui ceteri parerent; leges ſibi condiderant, quarum transgreſſores certâ pecuniâ mulctabantur; omnia autem Bacchum, & Venerem ſpirabant. Effecerunt tamen Patres, præſertim orationibus ad DEUM fuſis, ut improba illa Sodalitas in ſanctam converteretur. Senſim enim pudere cœpit petulantes illos inſolentiæ ſuæ, videntes etiam viliſſimos alios ad omnem probitatem in eadem navi compoſitos. Ergo tandem decreverunt mutare ſtylum, oppoſitáſque ſibi ſcribere leges. Qui obſcœnum verbum proferret, aut jurare audiretur, qui ſtatutas preces negligeret, &c. mulctam penderet. Factum denique, ut electus Præfectus omnibus imponeret mandatum de noxis ſuis per confeſſionem Sacramentalem expiandis.

Et

Et ſic inſolens illa de grege Epicuri decuria, in ſanctam verſa eſt cum omnium admiratione Sodalitatem. *Sachin. hiſt. Soc. p. 2, lib. 5. n. 135. & ſeqq.*

3. Fuldæ in Germania, an. 1573. graviſſima concitata eſt ab hæreticis Nobilibus, & quibuſdam inſolentioribus Eccleſiaſticis, in Noſtros tempeſtas. Citati ſunt hodie ad Concilium, quod ipſi conflârunt. Sed Abbas, civitatis Dominus, & Romani Imperii Princeps, vetuit illud audire, ſuámque protectionem cumulatè promiſit & præſtitit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4. lib. 1. num. 91.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Xaoceæ apud Sinas, annô 1593. P. Franciſcus de Petris, Italus. Magno labore, nec minore periculo, rem Chriſtianam promovit apud Sinenſes. Coadjutori, in Vocatione ſua firmando dixit ſe ad Societatem à DEIpara Virgine invitatum diſertis verbis: *Ingredere Filii mei Societatem, & in ea vacatione perſevera.* Mortis ſuæ tempus non ſemel ex vero prædixit. Leni febricula

tentatus accerſivit P. Riccium, quem arctiſſimè complectens: Vale, inquit, mi Pater, DEUS me vocat, paucíſque pòſt horis expiravit. *Juvencius l. 19. part. 5.*

5. Limæ in India Occidentali, annô 1613. P. Stephanus Paez, Hiſpanus. Ad animarum ſalutem in illis partibus efficaciùs procurandam; uſus eſt cultu, & ope ſingulari DEIparæ Virginis, cujus Sabbata, panis & aquæ levamentô contentus, tranſigebat. Ad perfectionem religioſam, per heroicas de ſe relatas victorias contendebat. Mortui corpus cùm ad templum deferretur, viſus eſt S. Ignatius ab ara maxima illi obviàm ire, & P. Stephanum ſumma gratulatione excipere.

6. Valliſoleti in Hiſp. annô 1642. P. Ludovicus de Valdivia, Hiſpanus. Poſtquam in Americam ſe tranſtulit, primùm in Provincia Peruana inſignem Novitiorum Magiſtrum, & poſt triennium Theologiæ Profeſſorem egit. Deinde ad fundandam Provinciam Chilenſem translatus, multa pro Indis paſſus eſt, & egit contra quoſdam violen-

tos

tos illorum oppreſſores. Denique ut Regem ipſum certiùs informaret de miſero illarum gentium ſtatu, in Hiſpaniam remigravit. Rex agnita hominis prudentia, & dexteritate, inſulas ei Epiſcopales obtulit, ſed repulſam paſſus, inſtituit, ut Regii Viſitatoris munus in illis regionibus admitteret, regiáque ſuprema authoritate ſtatueret, quidquid ad pacificandos populos illos, & promovendam religionem adverteret neceſſarium. Accedente præpoſiti Generalis Claudii aſſenſu, munus, arduum ſanè, admiſit Valdivia, Oceanum remenſus eſt, auctoritate regia univerſam provinciam inſpexit, ſupra decem Indorum millia iniqua ſervitute exemit, Hiſpanorum quorundam violentiam coërcuit, rebúſque ex ſententia, & commodo Religionis, compoſitis repetiit Hiſpaniam, ut Regem de geſtis informaret. Qui probatâ Patris operâ, iterum illi dignitates varias obtruſit, ſed Valdivia longè poſt humilitatem religioſam habuit. *Sotuellus in Bibl. Soc.*

7. In Perſide, annô 1660. P. Alexan-



Digitized by Google

xander de Rhodes, Gallus. Primus cum uno Socio lumen Evangelii intulit in regnum Tunchin, Sinis finitimum, ſpatióque annorum trium ſupra quinque hominum millia Chriſto ſubjecit, inter quos non pauci Mandarini, aliíque è prima Nobilitate. Cùm à rege juberetur regno exeſſe, ità per idoneos Catechiſtas rem Chriſtianam promovit, ut intra triennium numerus fidelium creverit ad 30. millia. Simili felicitate fidem propagavit in Cocincina: verùm & indè ejectus, rediit in Europam, conſcriptíſque Sociis migravit in Perſidem, ubi poſt annorum aliquot glorioſos labores, adiit iter Æternitatis, quievítque in Domino. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

## VI. NOVEMBRIS.

I. Cum Fuldæ ad datam heri citationem non comparuiſſent noſtri, hodie ab iiſdem hæreticis nobilibus, & inſolentibus Eccleſiaſticis, lata eſt ſententia proſcriptionis, ut intra decimum quartum diem Fuldâ excederent, ſi cunctentur, ſe validiore brachio adactu-

Digitized by Google

cturos. Quò cùm progreſſam rem videret Abbas, optimus, ad opem Cæſaris confugit, miráque felicitate, ac celeritate, præter opinionem omnium impetravit mandatum: nè quis vel Abbatem, vel Catholicos, ac nominatim, nè quis quempiam è Societate læderet. Quo promulgato, quies nonnulla rediit, atque Abbas rem ad meliorem ſtatum reducere conatus eſt. *Sacchin. in hiſt. Soc. lib. 1. part. 4. num. 91. & 92.*

2. Duacena quoque tempeſtas, ab hæreticorum furore concitata, detonuit. Senatus furentis plebeculæ plebiſcitum reſcidit, & honorificô editô decretô Societatem ſummis ornatam laudibus, nè redire gravaretur, orabat, miſſis à Senatu, & Academia Legatis Stapletonio, & Ferrario. Ità quintodecimo ab exceſſu die ad priſtinas ſedes, & labores redierunt Socii, eò civitati chariores, quò majore temeritate fuerant ejecti. *Idem ibid. n. 146.*

3. Romæ, annô 1699. Eminent: Cardinalis Bullonius, Societatis amantiſſimus, & amiciſſimus, ad Domum

Pro-

Probationis Tyronum noſtrorum ſe recepit, ſpiritualibus S. P. N. Exercitiis novem dierum ſpatio vacaturus: ut ſe pararet imminenti ſolemnitati, & muneri, aperiendæ ſcilicet Portæ ſanctæ pro Anno ſancto Jubilæi Magni. Quod munus Pontifex ipſe obire conſuevit, ſed Innocentium XII. adverſa valetudo impedivit.

4. Hac die annô 1601. Cardin. Bellarminus literas dedit ad Ericum à Lotharingia Epiſcopum, & Comitem Virodunenſem, qui per Bellarminum admiſſionem ad Societatem impetraturum ſe ſperavit, quam à Pontifice maximo, & Aquaviva impetrare non potuerat. Honorum ille lucem fugiens, delegerat Societatem, ubi deliteſcere tutò poſſet, in qua ſcilicet præcluſum, interpoſita voti religione, ſacris dignitatibus aditum noverat; Romámque contendebat annô 1596. in comitatu 20. adoleſcentium nobilium pari deſiderio æſtuantium, ut peteret à ſummo Pontifice veniam pedi paſtoralis deponendi. Etſi autem iter ingreſſus erat diſſi-

diſſimulato conſilio, latere tamen omnino non potuit, ac Muſſipontani Collegii Rector illud ſubodoratus, ad Claudium Aquavivam ſcripſerat, quanti intereſſet publicæ rei, ut vir tantus Eccleſiæ ſibi commiſſæ gubernacula non abjiceret. Monitus à Præpoſito Generali Pontifex, Ericum in ſtatione juſſit conſiſtere. Gravior Aquavivam de illius comitibus augebat ſolicitudo. Profugerant è Gallia genere omnes, & pietate clari, ſed inſciis plerique, invitíſque parentibus. Satiùs igitur induxit, ut illorum bona pars cum Erico rediret in patriam. Quinos Romanis tyronibus addidit, alios remiſſos ad Virodunenſis Probationis domicilium, non nullos in aliud tempus diſtulit, moleſtiam, & turbas ab eorum parentibus orituras reformidans. Quod Ericus nec per Bellarminum obtinere potuit, hoc ejus conſanguineus adeptus Carolus à Lotharingia, qui Societatem amplexus annô 1622. dignum ſe Ignatio alumnum præbuit. *Juvencius fol. 907.*

Eo-

*Eodem die obierunt.*

5. In Syria, annô 1653. P. Joannes Amieu, Gallus. Per annos 18. multum laboris impendit Miſſionibus illis. Alepi Sodalitia duo Maronitarum erexit, tertium Armenorum, Francorum cœtum, reſtituit. Miſſionem Damaſcenam ac Tripolitanam inſtituit, Sidoniam ſtabilivit, ibíque Francorum Sodalitium poſuit, multa perpeſſus. Familias integras tum à Mahumete, tum à Græco ſchiſmate abduxit. Maroniticam tempeſtatem prudenter tranquillavit, & pro Romano Maronitarum Collegio utiliter laboravit, Vir Apoſtolicus, & rebus magnis agendis omnino idoneus.

6. Limæ in Peruvio annô 1614. Alphonſus Ovandus, Novitius Hiſpanus. Virginitatis florem ut non ſolùm integrum, ſed undequaque nitidum, & vigentem conſervaret, multa, & acri mortificatione corpus atterebat, ciliciis aſperrimis undequaque contextum, & flagris laceratum. Per DEI-param Vir-

Digitized by Google

Virginem inſigni orationis dono excelluit, ejúſque ſola cogitatione dulciſſimis diffluebat lacrymis. Illi offerebat, quidquid ageret, totúſque in id incumbebat, ut digna tali Regina offerret. In nullam legem noſtram peccare viſus eſt, nec unquam verbum otioſum loqui auditus.

7. Madriti in Hiſpania, annô 1669. P. Joannes Antonius Velaſquez, Hiſpanus. Poſtquam Collegia Monfortenſe, Segobienſe, Abulenſe, Methymnenſe, Valliſoletanum, Salmanticenſe, totámque Provinciam cum laude gubernavit. Madritum evocatus à rege Philippo IV. conſtitutus eſt Conſultor Congregationis ibidem erectæ, de Immaculata Conceptione DEI- paræ Virginis tuenda, quo in munere per annos aliquot egregiè verſatus eſt, editis etiam duobus Tomis in fol. de eadem Concept. Immacul. ac tertio de MARIA Advocata. Alios 3. eruditos Tomos edidit in Pſalmos, & Epiſtolam S. Pauli ad Philipp. ſeptimum de Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Pruden-

Digitized by Google

dentia, eruditione, & virtute viri captus Rex prædictus, impoſuit eidem, ut ſemel ſingulis hebdomadis ſecretò ſe accederet, admoneretque, ſi quid pro bona regni adminiſtratione deſideraretur, at ille non minùs humilis, quàm ſapiens, negavit homini è Societate id muneris convenire. *Sotuell. in Bibl. Soc.*

## VII. NOVEMBRIS.

I. DIdacus Alvarez, ex ſacro Prædicatorum Ordine, annô 1596. Romam venit, acturus totis viribus contra librum Molinæ de Concordia liberi arbitrii cum auxiliis gratiæ. Convenit ſinè mora Cardinalem Alexandrinum Protectorem Ordinis ſui, ex eodem aſſumptum ad Senatum Patrum Purpuratorum, ejuſque patrocinium in negotio graviſſimo imploravit. Ex parte Societatis, ubi intellexit Claudius Aquaviva Præpoſitus Generalis, Controverſiam ex Hiſpania trahi Romam, omnes omnium Provinciarum Ordinis ſui Superiores, Doctoréſque per literas conſuluit, an iſtud certamen totius Societa-

tis

tis nomine eſſet ſuſcipiendum? Ad quod mirâ concordiâ, ac velut ore uno reſponſum ab omnibus eſt in hanc ſententiam. In libro P. Molinæ nihil apparere, quod acriorem mereatur cenſuram; ideóque abdicandum, vel deſtituendum non eſſe juſta defenſione. Ceterùm videri ſatìs fore, ſi Provincia ipſius tutelam libri ſuſcipiat, agátque cauſam illius. Quod attinet ad doctrinam de Efficacia Auxiliorum Gratiæ, cùm per totam Societatem, & in omnibus ejus ſcholis rejiciatur ſententia Prædeterminantium phyſicè voluntatem humanam; de hac Controverſia ſuſcipi poſſe certamen nomine totius Societatis Claudius his acceptis reſponſis, admiratus tam diverſarum mentium in unam ſententiam, ſinè mutua communicatione conſpirationem, conſtituit ab hoc unanimi conſilio non diſcedere. Sed adverſariis placuit, non totam concitare, & impugnare ſocietatem; ſatìs glorioſam arbitrari reportaturos ſe victoriam; ſi Molinam debellâſſent. *Eleuther. hiſt. Auxil. Grat. lib. 3. cap. 1.*

*Eodem*

Digitized by Google

## *Eodem die obierunt.*

2. Genuæ in Italia, annô 1657. P. Auguſtinus Centurionius, Italus. Poſt Rempublicam Genuenſem, cui Dux præfuit, magna cum laude adminiſtratam, graviſſimíſque aliis negotiis in variis ad Reges legationibus perfunctus, in Societatem ſe recepit Septuagenario major. Malebat in eam vineam vel undecimâ horâ venire, quàm non venire. Adhuc ſecularis, cùm Ducis munus gereret, quotidie Pane Angelico veſcebatur, ut indè robur, gratiámque traheret ad illud rectè adminiſtrandum. Securiùs tamen judicabat in Religione, quàm ſeculo mori. Tota ejus familia religioſa dici poteſt, cùm & pater illius, & mater, fratres, ſorores, filii, filiæ, variis religioſis Ordinibus ſeſe addixerint rarô exemplô. Vixit in Societate non toto biennio, ſed virtute cœlo matura.

3. Meſſanæ in Sicilia, annô 1622. P. Cæſar Coſſius, Italus. Somno quatuor tantum horas, reliquum orationi dabat.

Digitized by Google

dabat. Diebus 15. ante feſtum Aſſumptionis DEI-paræ Virginis, totidémque ante feſtum S. Michaëlis jejunabat. Nunquam extra conſueta tempora, etiam in ſummis caloribus bibit, nunquam ullis cibis oleum, ſalémque adhibuit, Sabbatis nihil coƈti cibi admiſit. Pro meritorum augmento in ſupremo ſenio biennem cæcitatem non minùs alacriter, quàm fortiter tulit.

4. In Bœtica, annô 1621. Joannes de Aguilar, Coadjutor, Hiſpanus. Maluit in Societate Coadjutorem temporalem, quàm in celebri alio Ordine, ad quem invitabatur, Sacerdotem agere. Procuratorem ruralem per annos 30. non minùs religioſum, quàm laborioſum egit. Duas horas, antequam alii ſurgerent, in oratione poſuerat. Modico pane contentus, ipſe agrum colebat, ipſe ſeminabat, & granum excutiebat, veſpere non priùs cibum ſumebat, quàm recitatô DEI-paræ Virginis roſariô. Domum à laboribus redux non refeƈtionem quærebat, ſed jejunia ſtringebat, ubique ſui domitor ſeverus.

VIII.

# VIII. NOVEMBRIS.

I. S. P. N. Ignatius annô 1607. inſigni miraculo ſanavit eximium quendam virum è ſacra D. Dominici Familia, P. Alvarum Molina definitorem, & aliis geſtis officiis clarum. Jacuit in America Limæ octo annorum paralyticus, ut nec pedem, nec manum, nec linguam in voces articulatas movere poſſet; neque ullum reſtabat humanum remedium. Contigit, ut P. Jacobus Oheda, ejuſdem Ordinis Theologiæ Profeſſor, Societatis, & S. Ignatii amantiſſimus, ægroto offerret legendam vitam S. Ignatii à Ribadeneira ſcriptam compendiô. Inter legendum ſenſit æger ſingularem erga Sanctum in ſe creſcere fiduciam, quæ eò evaſit, ut ipſe die Sanctorum Omnium votô conceptô, de ipſius feſto quotannis præviô jejuniô, & aliis quibuſdam pietatis exercitiis celebrandô, ſe ipſius interceſſioni humiliter commendârit ad impetrandam ſanitatem. Iterabat hæc pia deſideria, &

pre-

preces per totam octavam, cùm ſub veſperum interiori juſſu ſubitô moneri ſe ſentit: *Surge, & ambula.*; cui voci comes impetus quidam animi adfuit, quo excitabatur ad exiliendum è ſedili, in quo collocatus fuerat. Surgit ergo, ſtat ſuper pedes ſuos, format greſſus, denique fidenter confert ſe ad locum, quò Patres convenerant ad publicam Theologicarum Theſium propugnationem. Improviſus hoſpes quanto ſtupore defixerit omnes, vix credibile eſt; poſtquam autem ordine narravit omnia, quomodo per S. Ignatium ſit ſanatus, omnes ſtupore in gaudium converſo, intermiſſa diſputatione, ad agendas DEO gratias, hymnum Euchariſticum: *Te DEUM &c.* ſolemniter decantârunt. Indè Patribus noſtris rem, ut geſta erat, nunciant, quam & inſtrumento legitimo, authoritatéque juridica conſignârunt. Audito hoc miraculo Chriſtophorus Meſa, Societatis adhuc tyro, ad viam æternitatis jam comparatus, ubi didicit noſtros convenire pro gratiis DEO agen-

dis

Digitized by Google

dis ob ſanitatem Patri Prædicatori per S. Ignatium conceſſa, petiit à DEO, liceret ſibi ſurgere, & cum Sociis hymnum Euchariſticum abſolvere. Obtinuit petitum, & exinde conſaneſcens, integræ reſtitutus eſt valetudini. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 5. n. 10.*

*Eodem die obierunt.*

2. Romæ annô 1612. P. Bernardinus Piccius, Italus. Severus in ſe ipſum corpori negabat, quidquid bonâ conſcientiâ poterat, infligebat pœnas, quas poterat. In laude Divina aſſiduus dicebat hominem eſſe linguam aliarum creaturarum, ideóque debere illum etiam harum vice laudare DEUM. Si quando per valetudinem ſacro operari non poſſet, Coronam B. V. recitabat, & mox vires ſufficientes impetrabat. Fœminæ optanti lacrymarum donum, author fuit, ut B. V. lacrymas meditaretur, & Filio offerret. Fecit illa, & impetravit. Inter orandum aliquando viſus eſt P. Bernardinus in aërem ſublevatus, & cœleſti concentu recreatus.

3. Gandavi in Belgio, annô 1634. P. Ni-

P. Nicolaus Jamot, Belga, Philoſophiâ cum laude traditâ, ad pretioſiorem lauream aſpirans, Gandavi peſtiferorum obſequio ſe tradidit, ubi juvenem è domo ejectum, Sacramentis munitum, in humeros ſublatum, viâ longiſſimâ ad Noſocomium deportavit, ac poſt heroicos alios labores nobili morte honoratus eſt.

4. Trajecti in Belgio, annô 1571. Henricus Dionyſius Belga, vir in ſcholis, & pulpito ſacro præſtans in docendo, diſputando, & movendo. Inter alios zeli ſui fructus habuit Nicolaum Stratium, Decanum Trajectenſem, quem à vita liberiore ad formam Evangelicam adduxerat. Ut animum gratum Magiſtro ſuo teſtaretur Decanus, teſtamentô cavit, ut eodem, quo P. Henricus, tumulo conderetur. Mira res! bienniô pòſt ea ipſa, quâ Decanus moriebatur nocte, P. Henrici tumulus occulta virtute apertus eſt, ut mortuum Decanum reciperet, quieſceréntque ſimul corpora, quorum animus fuerat unus. Puellæ, & nativitate mutæ; quæ ægro Patri



Digitized by Google

Henrico lac caprinum afferre conſue-
verat, poſt mortem dicitur apparuiſſe,
ac miſeræ opem tuliſſe.

## IX. NOVEMBRIS.

I. PAter Julius Mancinellus, poſt-
quam in Miſſione Raguſæa, in
Dalmatia, egregiè per biennium labo-
ravit, fructu ampliſſimo, rogatu Regis
Chriſtianiſſimi, & Venetæ Reip. juſſus
eſt à Gregorio XIII. Pontifice ad Par-
tes Turcicas operam ſuam transferre.
Anno igitur 1583. cum Sociis quatuor
Conſtantinopolim attigit heri, mox
Galatam, ſeu Peram (quod eſt oppidum
urbi Conſtantinopolitanæ proximum,
& oppoſitum in altero ſinûs marini li-
tore) conceſſit, ad auſpicandam ibi per-
petuam Societatis Miſſionem, quam
Sixtus V. firmavit, & etiamnum ibi
perdurat. Ibi non tam Turcis conver-
tendis, quod periculoſiſſimum, quàm
Chriſtianis excolendis, & apoſtatis ad
Eccleſiam reducendis, operam impen-
dunt Socii. Exceptus eſt Mancinellus
cum Sociis ſingulari benevolentia à

Con-

Conſulibus Gallicæ, ac Venetæ nationis, conſignatúmque illis eſt ex voluntate Pontificis vacuum cœnobium S. Benedicti cum templo : ubi muniis Societatis inſiſtentes, proximorum ſaluti ſeſe impenderunt. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 3. num. 23. Tanner. in Soc. Apoſt. Imit.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Madriti in Hiſpania, annô 1656. P. Joannes de Guadarrama, Hiſpanus. Quamvis ingenio, & eruditione excelleret, Grammaticâ tamen ſolâ occupari voluit, & quibus potuit viis, Profeſſionem quatuor Votorum fugit. Catenam latam plenam ferreis aculeis diu, noctúque geſtabat, etiam in morbo, & arduis Miſſionibus, quas pedibus ſinè viatico obibat, adjiciebátque quotidie flagellationem ſui cruentam per horæ dimidium. Integrâ horâ orabat expenſis in modum brachiis, vel proſtratus in terram; miro interim odore ſæpe fragrans. Cùm æger ſiti arderet, cuidam aquam offerenti reſpondit: *Non; quia eſt contra regulam, & volo eſſe fidelis*

*DEO etiam in minimo.* Cardinalis Toletanus eum tanti faciebat, ut iis, qui confiterentur 80. indulgentiarum dies conceſſerit.

3. Conimbricæ in Luſitania, annô 1553. Alphonſus Vaſius, Scholaſticus Luſitanus præcipuô ſtudiô intentus erat, ut coram Deo verſaretur ubique, jámque uſu ipſo rem ſibi facilem reddiderat. Chriſtum reverebatur in Superiore, Apoſtolos in Patribus in aliis alios Chriſti diſcipulos. Horæ plures illi oranti, & lacrymis mananti ſuaviter fluebant. Per quinque menſes lecto affixus, nullo die omiſit matutinæ orationis horam, veſperi aliâ quoque adjectâ, præter duplex Examen. Sic religiosè occupatus quievit in Domino.

4. Caleti in Gallia, annô 1606. Remigius Croiſius, Belga. Cùm enim poſt captum ab Hiſpanis Caletum, urbem Galliæ marititimam, oratu Præfecti eò miſſi eſſent nonnulli è noſtris, qui civibus præſidio, & contagioſa lue laborantibus auxilio eſſent, Frater Remigius, dum nulli parcit labori prædictâ mortis horâ, gloriosè occubuit. X. NO-

Digitized by Google

# X. NOVEMBRIS.

1. EPiſtolam dedit S. Xaverius ad P. Franciſcum Manſillam, in India laborantem, ac tædioſum ob fructûs ſparcitatem. Excitat ergo, & ſolatur illum, commendátque plurimùm etiam refractarios. Summopere, inquit, te oro, atque obſecro, Frater chariſſime, ut erga iſtam nationem benevolentiam, & charitatem præteferas non vulgarem, téque viciſſim diligi ab omnibus, & amari velis. Sic enim habeto, ſi ab eis diligaris, fore, ut iſtorum animos flectas, quocunque libitum fuerit. Itaque eorum imbecillitatem, infirmitatémque moderatè, ac ſapienter feres, atque illud tecum animo reputabis, ſi minùs tales nunc ſint, quales eſſe velis, certè aliquando futuros. Quodſi quidquid velles, nequiveris ab illis impetrare, accipies, quod datur; quod idem me facere ſolitum non ignoras. Hoc autem erga illos animo eris, ut talem eis te præbeas, qualem bonus pater improbis filiis, ut nunquam

quam eis conſulere deſinas, quamvis cernas, multis eos vitiis coopertos, &c. *Epiſt. Veter. lib. 1. ep. 7.*

2. Romæ habita eſt annô 1603. coram Clemente VIII. Congregatio, & diſputatio 20. de Auxiliis Gratiæ; propoſitúmque: *An omnia, quæ Molina docet circa actus omnes, qui elici poſſunt à libero arbitrio, ſimul cum his, quæ de lege dixit, ea omnia dicat, & aſſerat in ordine ad affectum Juſtificationis? Et an ex his, quæ de libero arbitrio, & lege affirmat, reſultet immediata, ac proxima, vel remota præparatio ad juſtificationem, & gratiam?* Pro Molina reſpondit P. Ferdinandus Baſtida, oſtendítque manifeſtè, neutrum doceri à Molina.

3. Annô 1601. egregiam pro Molina dedit Epiſtolam hac die Academia Complutenſis, quam cùm Doctor Petrus Michaël Academiæ Procurator Clementi VIII. conſignaret in manus, reſpondit Pontifex: Non deeſſe, qui dicerent Cenſuram illam non fuiſſe è ſenſu Magiſtrorum Complutenſium, ſed compoſitam, & dictatam à Patribus So-

Societatis. Doctor ergo prædictus, cùm Doctores Complutenſes de hoc dicto certiores feciſſet, dederunt illi annô ſequente 5. Aprilis aliam Epiſtolam, ſanctè conteſtantes, omnino ſuam eſſe Cenſuram illam, datam ad requiſitionem ſacræ Inquiſitionis. *Eleuth. hiſt. Auxil. lib. 4. cap. 35.*

4. Annô 1659. ab Alexandro VII. Pont. Max. ſolemniter in ſacrum Purpuratorum Eccleſiæ Patrum Senatum relatus eſt P. Sfortia Pallavicinus, quam tamen dignitatem conſtanter recuſavit, donec Præceptô Obedientiæ Sanctæ adigeretur. *Sotuellus in Bibl. Soc.*

## *Eodem die obierunt.*

5. Camberii in Gallia, annô 1623. P. Antonius Suffren, Gallus. Poſt domicilia, & Provincias cum laude gubernatas, cùm in gravem morbum incidiſſet, & preces pro eo indictæ eſſent, cuidam Fratri Coadjutori impenſiùs oranti facta adſpectabilis DEIpara V. dixit, P. Antonium eô morbô non moriturum, & convaluit. Cùm autem

aliquot poſt annis P. Joannes Suffren ejus frater editis præclaris ſpiritualibus libris clarus, periculoſo morbo conflictaretur, P. Antonius inter ſacrificandum DEO caput ſuum devovit pro illo in vita retinendo, tanquam utiliore. Ab ara redux illico à febri, quæ ei fatalis fuit, correptus eſt, P. Joannes convaluit.

6. Antverpiæ in Belgio, annô 1626. P. Guilielmus de Pretere, Belga. DEIparæ Virginis amori, & honori toto corde, ac animo addictus, per annos 20. tria ejus Sodalitia accuratiſſimè gubernavit, quibus quartum deinde addidit. Dictitabat ſe honori Mariano propugnando eſſe paratum longiſſimè vivere, dilata beatâ æternitate. Multos, etiam primæ notæ ad fidem orthodoxam, & varios Ordines religioſos perduxit ſerviens animabus indefeſsè in quavis occaſione, etiam cum capitis periculo præſente.

7. Florentiæ in Italia, annô 1630. P. Marcellinus Albergottus, Italus. Meditatus de peccatis venialibus, cùm videret

rèt ea omnia in hac vita vitari non poſſe, fervida moriendi cupidine accenſus, petiit, ut peſte afflatis ſervire, adeóque finem peccandi facere, poſſet. Impetravit utrumque, illud à Superioribus, hoc à DEO. Cùm Florentino Collegio præeſſet Rector, rogatus à P. Miniſtro, quid in rebus anguſtis capiendum eſſet conſilii? Reſpondit: Subſidiũ quærendum eſt in Oratorio. Quæſivit Miniſter in armariolo oratorii, ſed nihil invenit. Ubi autem occurrit, Patrem Rectorem videri intelligendum de oratione ad DEUM fundenda, inſtituta hæc eſt ferventer coram Venerabili Sacramento, & poſtridie lautum auxilium ex inſperato allatum eſt Collegio.

## XI. NOVEMBRIS.

I. COllegium Methymnæ Campi in Hiſpania, annô 1552. inſigni vexatione exercitum eſt. Abbas loci, & Vicarius idem Epiſcopi, neſcitur qua de cauſa, ipſa D. Martino ſacra luce, per tabellionem edixit, nè noſtri Confeſſionibus, concionibúſque ope-

ram darent, priusquam de vita, doctrinâque ipſorum cognoſceretur. Nova res, & inſolens viſa Patribus, ut qui Abbate ipſo nec inſcio, nec invito fungi muniis ſuis cœpiſſent, imò & literas Apoſtolicas, & Privilegia inſpicienda dediſſent. Protinus ergo Rector Collegii, cum uno è Patribus Doctore, Abbatem conveniunt, exploraturi, quid maleficii in Sociis notâſſet. At ille, ſimul ac in conſpectum venerunt, ignominioſiſſimis verbis illos proſcindere, ut ſeductores, latrones, &c. parúmque abfuit, quin baculô, quem manu gerebat, pulſatos abigeret, abripi tamen in vincula, & carceres juſſit; nec niſì urgentibus ſummis amicorum precibus, ſub noctem dimiſit, inſigni dato ſpecimine: quò paſſiones hominem abripiant, ſi non domentur maturè. *Orlandin. hiſt. Soc. lib. 12. p. 1. n. 50.*

2. Annô 1590. feliciter in Urbem rediit P. Robertus Bellarminus, emenſo itinere laborioſo, & periculoſo in Galliam, & ex Gallia cum Card. Henrico Cajetano, à Sixto V. expedito ad ſub-

ſubveniendum afflictæ Eccleſiæ Gallicanæ. Quæ expeditio ut felicius procederet, viſum eſt Pontifici, addere Legato comitem P. Bellarminum. Ingens, qua ibatur, fuit populorum ſtudium videndi Bellarminum, editis Controverſiarum Tomis jam famoſiſſimum. Ipſi hæretici avebant nôſſe vultum viri, qui in regno ipſorum tantam feciſſet confuſionem. In ea legatione duo illum fecerunt celebriorem, alterum, quòd à Cardinale nullatenus adduci potuerit, ut aliquid conſilii daret in negotiis politicis, alterum, quòd eo ipſo anno eventuram Pontificis mortem non ſemel prædixerit, quamvìs ille integra uteretur valetudine. Reduci in urbem poſt fata Sixti, non diu attritas vires reficere licuit. Admotus enim à Gregorio XIV. inter alios emendationi ſacrorum Bibliorum, quam cœperat Sixtus, eam præſtitit operam, ut ipſius potiſſimùm labori debeamus editionem Sixtinam, qua nunc utimur. *Petraſancta in Vita l. 2. c. 9.*

 3. Clau-

3. Claudius Aquaviva conſuit, ut cùm integrum Xaverii corpus Oriens poſſideret, ejuſdem aliqua patre Occidens frueretur. Goani Patres veriti, nè quid oriretur tumultus à civitate, ſi res palàm fieret, nocte tacita in ædem ſacram, ubi corpus Beati depoſitum aſſervatur, ſe hac die contulerant annô 1614. Contremuit ædes tota ter, & ingenti metu omnes concuſſit. Cùm trepidi referrent gradum, unus animoſior ceteris, vocem tollens, orare ſanctum inſtitit, ut qui ſuis majoribus tam audiens dicto ſemper fuiſſet, eandem obedientiam demonſtraret exemplo memorabili, nec ſacri corporis partem Europæ ſupplicanti denegaret. Viſus eſt annuere Xaverius, & ſedato terræ motu, Patres ædem ingreſſi partem brachii, quæ protenditur à cubito ad carpum cum ipſa manu deſecuerunt. Caro mollis, & lenta, ut corporis vivi apparuit, fluxítque roſei, & puri ſanguinis magna vis, quam linteô reverenter exceptam Patres ad Philippum IV. in Hi-

Digitized by Google

Hiſpaniam miſerunt. Sacrum pignus P. Sebaſtianus Gonzalez Rector domus probationis Goanæ, qui petebat urbem Indicæ Provinciæ Procurator mirabiliter prædonum incurſu liberatum, Romam feliciter devexit.

## *Eodem die obierunt.*

4. In Germania, annô 1631. P. Joannes Arnoldi, Germanus, impiger operarius in ſylveſcente vinea DEI. Cùm divinis operatus, à ſacro, & concione rediret: apparatus ſacer à ruſticis *hæreticis* direptus, mox in ipſum Patrem facto impetu graviter eum ſudibus delumbârunt, deinde aſciâ perfracto capite, arbori eſt alligatus. Jugulum illi præſcindens barbarus ruſticus!, *I nunc*, inquiebat, *& hoc ore, ſi potes, tuum illud, Dominus vobiſcum, proclamato.*

5. In Philippinis inſulis, annô 1649. P. Vincentius Damianus, Italus. In ipſis Indiis, Indias magis abſtruſas, & barbaras ſcrutatus, apud Jubigenſes, &

Digitized by Google

& Bacerenſes heroë Apoſtolico digna geſſit, ac paſſus eſt, donec in Crucifixi amplexu, odio fidei lanceâ confixus, candidam innocentiæ ſtolam, nulla graviore noxa unquam inquinatæ, tinxit in ſanguine ſuo, & Agni.

6. Conſentiæ in Italia, annô 1653. P. Theodorus Maſſimanus, Italus, eximiæ virtutis famâ, potiſſimùm autem orandi aſſiduitate, coram Tabernaculo Euchariſtico clarus. Ipſa, qua deceſſit nocte, Sanctimoniali ſingularis pietatis, per quietem objecta eſt ſpecies lectuli holoſericô aureô, floridóque pretiosè inſtructi; cúmque interrogaret: cuinam ſponſo cœleſtis hic thalamus pararetur? audivit, parari cuidam virtute inſigni, tunc è vita migranti. Hoc reſponſo accepto experrecta, illico æris noſtri campani mortuale ſignum audivit, didicítque eum tunc vitâ functum. Neque alienum eſſe à vero objectum illud lectuli ſchema crediderunt ii, quibus tam Sanctimonialis illius, quàm P. Theodori virtus perſpecta erat.

XII.

# XII. NOVEMBRIS.

I. INdiarum Apoſtolus S. Xaverius annô 1552. è portu Sancianenſi dedit Epiſtolam ad Dominum Jacobum Pereiram, ſibi amiciſſimum, & erga ſe munificentiſſimum. Scribit inprimis ſe ſtare in procinctu ad ſolvendum in Sinas, modò mercator Sinenſis grandi pretio, ab ipſo hoc D. Pereira accepto, conductus, fidem non fallat. Si fefellerit, ſignificat ſe aliâ viâ tentaturum ingreſſum in Chinam, ſcilicet cum Legato Regis Sionis, quem intellexit mittendum ad Imperatorem Sinarum. Addit denique: Faxit DEUS, ut in Sinarum Regis aula aliquando nos videamus! nam & Pereira nomine Regis Luſitaniæ iturus erat ad Sinarum Regem; ſed invidiâ Præfecti Malacenſis detinebatur. Me quidem ſubjungit Xaverius, ſi in Sinas penetravero, aut ſervum in Cantonis carcere, aut certè in Pechini regia vinctum offendes. DEUS nos pro ſua immenſa benignitate, in Sinarum regno, ſin minùs, certè

in

Digitized by Google

in cœleſti, jungat, & copulet. Amen. *Epiſtol. Veter. lib. 4. epiſt. 16.*

2. Ex eadem inſula Sancianenſi eodem tempore aliam dedit idem Sanctus epiſtolam ad P. Franciſcum Perez, Malacæ manentem, quâ ſignificat dimiſſum eſſe à ſe ex Societate Fratrem Pereiram, mandátque Perezio, ut eum nec ſub tectum recipiat, nec Goæ recipi patiatur, nec in eadem cum ipſo navi iter agat; ſuadeat autem illi, ut ſe recipiat ad PP. Franciſcanos, vel Dominicanos, juvétque illum in eo negotio pro poſſe. In epilogo epiſtolæ: Ora, inquit, pro nobis divum Numen, nam periculum diræ ſervitutis præſentiſſimum adimus apud Sinas. Sed conſolatur nos hoc reputantes, quod perſuaſiſſimum habemus, longè præſtare captivum, & vinctum eſſe ſolo DEI amore, quàm libertatem, quantumlibet jucundam, ignavâ ingratáque fugâ laborum Crucis Chriſti emere. *Epiſt. Recent. lib. 7. epiſt. 12.*

Eo-

*Eodem die obierunt.*

3. Romæ annô 1615. P. Fabius de Fabiis, Italus, de ſtirpe Magnorum illorum Fabiorum. Generis claritatem illuſtravit religioſa excellenti virtute, & præclarè geſtis muneribus, Magiſtri Novitiorum, Rectoris, Provincialis, Secretarii, Aſſiſtentis. Quidquid ageret, etiam in puſillo corpore magnum ſe Fabium prodebat. A tauro ferociente in cornua ſublatus, & malè quaſſatus, cùm moneretur, ad S. Xaverii brachium, tunc ex India allatum, votum conciperet, negavit ſe valetudinem miraculô quæſitam velle; malle, quod malit DEUS.

4. Brunæ in Germania, annô 1643. P. Philippus Streidt, Bohemus. Ubique divinis, & ſui reconciliationi intentus, etiam apud vulgus Sancti nomen meruit. P. Martinus Stredonius Provincialis, vir eximiæ ſanctimoniæ famâ notus, de illo inter plura ſic ſcripſit. *Nullam dici horam, quâ non totam animam in DEum reflecteret, ipſi unquam elapſam eſſe, exploratiſſimum eſt.* Examinis

minis particularis curam tam altè ſibi impreſſerat, ut eo die, quô illud negligeret, ſe nec dignum pane religioſo, nec filium Societatis putaret. DEIparam Virginem ingenioſis pietatis induſtriis venerabatur, cujus præſidiô conſtantem vitæ innocentiam credebatur conſervâſſe.

5. Londini in Anglia, annô 1606. Parvus Joannes, ſeu Nicolaus Odoenus, Anglus. Sub adſcito Joannis Parvi nomine diu latuit, & in puſillo corpore magnam vim animi prodidit. Excelluit ingeniô ad fabricandas latebras, quibus Patres, & ſacer apparatus tegerentur, multíſque annis ſub ſpecie famuli illis ſervivit. Deprehenſus tandem, & in carcerem conjectus, admiranda toleravit. Iterum liber, iterúmque captus, acerrimis tormentis per plures dies cruciatus eſt, ut proderet latebras factas. Sed ille perſtitit infractus, nec verbum ullum ei extorqueri potuit, quod alicui noceret. Tormentis non tantùm non ceſſit, ſed voluntarias mortificationes adjiciebat, ciliciô nun-

nunquam depoſitô, etiam in carceribus, donec fortis, & ſancta anima, viſceribus tormentorum immanitate jam effluentibus, è lacero corpuſculo feliciter evaſit.

## XIII. NOVEMBRIS.

I. HOc etiam die ex inſula Sinenſi, Sanciano annô 1552. qui extremus ei fuit in vita mortali, epiſtolas dedit ad Socios S. Xaverius. In data ad P. Gaſparem Barzæum Rectorem Collegii Goani, ſcripſi, inquit, ad Franciſcum Perez, ut Malacâ diſcederet quàm primùm, & cum omnibus Sociis in Indiam ſe reciperet. Etenim nunc quidem tanto bono indigna videtur civitas illa, quæ cauſa fuit tanti mali, quòd iter noſtrum in Sinas, divinæque gloriæ amplificationem, per ſummam injuriam impediverit. Iterum tibi mando, ut recentiſſimum illud mandatum meum ſummo ſtudio, diligentiáque conficias; hoc eſt, ut tranſigas cum Epiſcopo, ut Malacæ Excommunicationes rite pronunciandas curet,

ret, in quas inciderunt ii, qui noſtro itineri obſtiterunt, ſiquidem Legati Apoſtolici nomine Sinas petebam. Id adeò mihi curæ eſt duabus de cauſis, primùm, ut Malacenſis Præfectus intelligat, quàm grave in ſe admiſerit ſcelus, & quàm gravem pœnam incurrerit; nè poſthac is ſit in alios, qui fuit in me. Deinde ut noſtri Ordinis homines, qui deinceps rei Chriſtianæ causâ Malacam, Moluccum, Japoniam, Sinas petent, retinere audeat nemo. Et quoniam pleroſque homines hodie magìs pudet hominum, quàm DEI, quicunque ejuſmodi ſunt, tantæ notæ, atque ignominiæ metu, à tam projecta audacia abſterreantur, &c. *Epiſt. Vet. lib. 4. ep. 17.*

2. In Sardinia, annô 1564. Calari, quæ urbs Proregis ſedes eſt, pridem ardenter deſideratum, hodie tandem erectum eſt Collegium, poſt adventum Sociorum decem. Effuſa obviam civitas, prolixis omnium ordinum ſtudiis excepti ſunt hoſpites, nec quidquam omiſſum, quô cives optimi alacritatem, &

& humanitatem ſuam teſtari poſſent. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. l. 8. num. 56.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Petricoviæ in Polonia annô 1607. Paulus Koſtka, Polonus, Beati Stanislai Koſtka Germanus, ſed in illum iniquior, dum Viennæ ſtuderent. Videtur DEUS id dediſſe meritis, & precibus Beati adoleſcentis: ut Paulus tandem ſaperet, & cœleſtia præ terrenis haberet. Ergo ad ſaniora converſus, totum ſe, & ſua impendit divinæ gloriæ, erectô Patribus Franciſcanis Praſnicii templô, & cœnobiô; Parochiali Eccleſia, & Xenodochio proventibus aucto; & fortunis ſuis tam liberaliter in pauperes diſperſis: ut regnô cœlorum omnino ſe maturum oſtenderit. Sub hæc impetratâ à Claudio Aquaviva copiâ ingrediendi Societatem, quam diu, multúmque quæſiêrat, dum in procinctu eſt, ad Societatem triumphantem, ùt ſpes eſt, migravit.

4. Viennæ Auſtriæ annô 1669. Joannes Bucellenus, Italus Brixienſis, præter

ter Collegia varia, Provinciam Auſtriæ gubernavit rara laude ſuavitatis,& fortis executionis. Miſſæ Sacrificium eo animi ardore obibat : ut è ſecularibus complures eam operirentur horam,quâ ille celebrabat. Horas Canonicas ùt plurimùm ante Ven. Sacramentum humi proſtratus recitabat. Annua S.Patris exercitia pridie præmiſsô jejuniô auſpicabatur ; è quibus ſemper ſe ipſo major prodibat. Corpus exquiſitis modis vexabat, etiam in modicis nihil illi indulgendo, quod non extorqueret aperta neceſſitas. Obſervatus eſt in triclinio, & aliis conſeſſibus, per annos 30. & ampliùs, nunquam ſe reclinâſſe: in cubiculo etiam ſedili utebatur ſinè reclinatorio. Hyemali tempore nulla admittebat manuum tegumenta, nihil in cibis delicatum, nullum in cubiculo adminiſtrum, etiam in ſenili ætate, & munere Provincialis; quo perfunctus, Bibliothecæ publicæ curam ſuſcepit, libros accuratè componebat, & quot hebdomadis mundabat, ipſum quoque verrendo pavimentum. Tam humilem

lem virtutem, & conſtantem in ſe auſteritatem, ſingularibus identidem favoribus honorabat DEUS. *Sotuell. in bibl. Soc.*

5. Conſtantiæ in Germania an. 1625. P. Paulus Layman, Germanus, vir quàm profundè doctus, tam humilis, & modeſtus. Quantus fuerit in Theologia Morali, & Jure Canonico, locupletes ſunt teſtes Volumina edita, avidéque à doctis direpta. Conſulebatur paſſim, etiam ex locis admodum remotis; & reſponſa habebantur pro oraculis: ſed ipſe videbatur neſcire eruditionem ſuam; tam parum illâ afficiebatur. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XIV. NOVEMBRIS.

I. PAter Edmundus Campianus, glorioſus Chriſti athleta, poſt toleratos jam acerbiſſimos equulei cruciatus, annô 1581. adductus eſt in aulam dictam Veſtmonaſterium, cum P. Thoma Coramo, ubi recitatô accuſationis libellô, jubentur ad ſeſe purgandos, pro more recepto manum ſuſtollere, quod cùm feciſſent alii, qui aderant in eadem cauſâ Catholici, Campianus autem

tem ob brachia vî tormentorum diſſoluta, manum attollere non poſſet, unus de Sociis acceſſit, & reverenter deoſculatus, modicè manum ejus extulit. Tum Campianus: Profiteor coram DEO, & Angelis ejus, & hoc, cui adſto, tribunali: me nec criminis læſæ Majeſtatis, nec perduellionis, nec ullius in patriam conjurationis reum eſſe. Idem profitentibus, & aliis Chriſti Confeſſoribus abducuntur omnes in carcerem, poſt dies aliquot perimendi. *Sacchin. p. 5. hiſt. Soc. lib. 1. n. 243.*

2. Annô 1598. Madriti in Hiſpania egregiam dedit epiſtolam Maria Imperatrix, Caroli V. Filia, Maximiliani II. Imperatoris conjux, Rudolphi II. & Mathiæ Imperatorum Mater, ad ſummum Pontificem Clementem VIII. quâ ei eximiè, & materno planè affectu commendavit Societatem, ac ſpecialiter cauſam P. Molinæ, & libri ejus, utpote in Luſitania, & Hiſpania rite approbati à SS. Quæſitoribus, aliiſque viris doctiſſimis. Adjunxit huic quatuor alias epiſtolas ejuſdem ſententiæ, ad Card. Aldobrandinum, Ma-

drucium, & S. Severinæ, atque ad Ducem Seſſæ, cui impensè commendavit, ut latè per Urbem ſpargeret, quod à pleriſque tunc ignorabatur, ſcilicet librum Molinæ judiciô contradictoriô, ùt ajunt, à ſupremo Luſitanæ Inquiſitionis Senatu examinatum, & communibus ſuffragiis etiam PP. Dominicanorum abſolutum eſſe. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 3. cap. 5.*

*Eodem die obierunt.*

3. Ferrariæ in Italia, annô 1598. P. Benedictus Palmius, Italus, ab ipſo S. P. N. ſuſceptus, magnum, & inſigne dedit Hiſtoriæ Societatis argumentum. Concionando tantopere valuit, ut Auditorum voluntates videretur in linqua circumferre, & dicenti fuerit acclamatum, *Beatus venter, qui te portavit.* Primus inter Italos vota 4. fuit profeſſus, primúſque Concionator è Societate à Pontifice aſſumptus.

4. In regno Bengala Indiæ Orientalis, annô 1602. P. Franciſcus Fernandius, Luſitanus. Dum totum ſe

impendit ſaluti barbarorum, orta inter eos, & Luſitanos rixâ accurrit Pater, ut partes componeret. Sed à furente turba probris, & pugnis peſſimè acceptus, atque ad carcerem abreptus, in ferro, & ærumnis diem ſupremum obiit, ſi non fidei, certè pacis, & charitatis victima.

5. Apud Sinas Anno 1628. P. Nicolaus Trigautius, Belga. Quamvis corpore eſſet admodum debili, non dubitavit tamen arduam in Indiam Miſſionem petere. Eâ impetratâ, tantæ corpori acceſſerunt vires, ut omnibus immenſi itineris incommodis ſuffecerint; imò etiam ad remetiendum iterum, iterúmque idem iter, quando inde expeditus fuit Romam Procurator, fuerint ſufficientes. In vaſtiſſimo illo imperio aliquando duas, ternáſque provincias: Galliæ, Hiſpaniæque pares, ob paucitatem operariorum curandas habuit, quas Apoſtolicis paſſibus peragrabat; donec fatiſcente corpore, requievit à laboribus ſuis. Multis editis libris Latino, Sinicóque idiomate, rem Chriſtianam promovit. *Sotvel. in bibl. Soc.*

XV.

Digitized by Google

# XV. NOVEMBRIS.

I. IN Japonia annô 1551. cùm S. Xaverius in regia Bungenſi dies 40. egiſſet, cum ubere animarum converſarum proventu, & non una inſigni victoria in publica coram Rege, ac proceribus diſputatione Bonzios profligâſſet; abitum parante navi Luſitana, convenit Regem, quem conſtanter habuit benevolentiſſimum, vale, ac ſalutaria illi daturus monita, ſiquidem ſacro Fonti ſe nondum præbuit idoneum. Monuit ergo, ut agnitam veritatem cordi haberet, atque ſic uteretur temporalibus, nè bona amitteret æterna. Interea Bonzii repetitis cladibus efferati, deſperata coquebant conſilia, non ſolùm de Xaverio, ſed Luſitanis omnibus cum ipſo Rege ſuo, quemadmodum Amanguccii fecerant, tollendis; priùs tamen ſemel adhuc diſputationis aleam tentare voluerunt, evocato ad illam Bonziorum totius Japoniæ doctiſſimo, Fucarondono. Cer-

tamini dies ſequens deſignatus. *Bartolus in Vita lib.* 3. *num.* 41.

2. Anno 1615. poſt obitum glorioſæ memoriæ P. Claudii Aquavivæ, in Congregatione VII. Generali, electus eſt in Præpoſitum Societatis Generalem P. Mutius Viteleſcus, Italus, patria Romanus, illuſtri, & antiqua familia oriundus: poſtquam inſigni cum laude gubernavit Romæ Collegium Anglorum, deinde Collegium Neapolitanum, Provincias Neapolitanam, & Romanam, atque Aſſiſtentis Italiæ munere functus fuit. Triginta ferme annorum ſpatio ſapientiſſimè Societatem gubernavit. *Sotvellus in Biblioth. Soc.*

3. Idem P. Mutius hoc die annô 1639. prolixam, præclarámque dedit epiſtolam ad Patres, Fratréſque Societatis, de celebrando Anno ſeculari, & Jubilæo ejuſdem, quod quomodo faciendum ſit, inſtruit. Vult in omnibus inſtaurari primævum Societatis ſpiritum, præcipuè per accuratum ſtudium Orationis, per aſſiduam Chriſti

ſti patientis Meditationem, per S. Patris Exercitia ſpiritualia, per efficacem ordinationum executionem, procurandam potiſſimùm à ſuperioribus, & per Jubilæum ab Urbano VIII. Pont. Max. conceſſum Societati. *Ex Epiſtolis Generalium.*

## *Eodem die obierunt.*

4. In Paraquaria, annô 1618. P. Rochus Gonzales de S. Cruce, Indus. Totus in animarum ſalutem effuſus, varios iſthic populos mitigavit, & Chriſto ſubjecit. Ipſe barbaris mapalia concinnabat, leges, & agros dabat, agriculturam docebat, rempublicam, & magiſtratus ordinabat, communis omnium, ruſticus, pater, magiſter, præfectus, & omnia. Poſt ſacrum, ab irruentibus conjuratis clavâ ligneâ, ſilice armatâ, percuſſus, caput confractum, & reſectum. Quinquaginta tres barbari teſtati ſunt, auditas à ſe prodeuntes è truncato corpore has voces: *Occidiſtis eum, qui vos diligit: occidiſtis corpus meum, & oſſa mea contriviſtis; at*

 *non*

*non animam, quæ jam verſatur inter Beatos in cœlo. Multæ vobis calamitates evenient ob mortem meam. Quia venient filii mei, pœnas repetituri ob violatam DEI Matris imaginem.* At illi: Hem, præſtigiator ille adhuc loquitur! Mox evulſum illi cor è pectore, unà cum teli cuſpide, quâ confixum erat, injecerunt in ignem: ſed combuſtô telô, cor integrum inventum, & annô 1633. Romam perlatum.

5. Ibidem, eadem tempeſtate involutus occubuit P. Alphonſus Rodriquez Hiſpanus, non uno Indico acinace conciſus. Corpora circa templum raptata, igni bis injecta, unà cum eburneo altero, & altero plumbeo Crucifixo. Sed tam corpora, quàm Chriſti Crucifixi ſimulacra, integra reperta ſunt poſtridie inter cineres templi combuſti.

6. Antverpiæ in Belgio, annô 1624. P. Adrianus Mangotius, Belga. Animarum ſalutem ardenter promovebat verbô, calamô, & exemplô. In extrema ætate tam gravem memoriæ paſſus

eſt

eſt defectum, ut præſentiſſimus ſibi, nè nominis quidem proprii meminerit. Habuit tamen in promptu paucas voculas, quas opportunè promebat. Si quid in laudem ejus diceretur, dicebat: *Miſer ſum.* Si quis compaſſione ductus, miraretur ægritudinem ejus, dicebat: *Dominus eſt*, cujus ſcilicet diſpoſitione juſtiſſima hæc evenerunt. Si contentiosè diſputantes, vel altercantes audiret, monebat: *Fratres ſumus.* Aliàs infractô ſignaculô obſeratum os habebat, nec niſi lacrymis loquebatur.

## XVI. NOVEMBRIS.

I. IN Japonia coram Rege Bungi celebri certamine concurrerunt, Indiarum Apoſtolus Xaverius, & Fucarondonus Bonziorum Princeps, atque oraculum Japonum. Initio non levis Regem inceſſit metus, nè Xaverius par non eſſet verſatili hominis ingenio, & linguæ; ſed cùm non niſi abſurdam Pythagoræ metempſychoſim, & extremam libidinis fœditatem, quæ viget in Japonia, propugnandam

 dam

dam ſuſcepiſſet, Xaverius vi tanta rationum bruti illius redarguit impudentiam, ut motô omnibus ſtomachô, ac Rege Jubente, aulâ ſit ejectus. Exarſit belluino furore Bonziorum natio, parúmque abfuit, quin cum Xaverio Luſitani omnes, & Rex ipſe perirent. Monebant, urgebántque Xaverium, Luſitani, ut in navim ſe reciperet, & cum ipſis ſolveret in Indiam; at ille quodvis diſcrimen pro Chriſto ſubire maluit, quàm fugam arripere, ſibi turpem, neophytis ſcandaloſam, hoſtibus optatam. Perſtitit ergo intrepidus, ac Deo protegente illæſus. *Bartolus in vita lib. 3. num. 43. & ſeqq.*

2. Annô 1656. fortem dedit Epiſtolam ad Patres, Fratréſque Societatis P. Goſwinus Nickel Præpoſitus Generalis, de vitando ſpiritu Nationali, & Provinciali, ob ingentia, quæ affert, damna. Nam 1. Illo prædominante, Societas ſalva eſſe non poteſt, dividit enim ſe, ſeparátque membra à ſe invicem, & à corpore. 2. Injuriam, facit hic ſpiritus Chriſto, cujus mem-

bra

bra ſumus omnes, qui nos in unum corpus redegit, & ſuam Societatem appellavit. 3. Obſcurat bonum nomen Societatis, ſcandalum dat adverſariis noſtris, dum audiunt digladiari inter ſe Jeſuitas, & unam Provinciam, vel nationem pugnare contra aliam. 4. In apertum diſcrimen adducit Societatem, quæ ùt ſinè charitate, & animorum conſenſione ſtare non poteſt, ità nec ſubſiſtere cum ſpiritu nationes, & provincias collidente. 5. Spiritus nationalis eſt certiſſima peſtis, & mors Charitatis, ideóque ignotus omnino fuit primis Patribus, qui ex diverſiſſimis collecti nationibus, unam planè Angelicam conflârunt Societatem, non ſolùm in una provincia, ſed in una domo viventes, ùt unius moris, & ſpiritûs, charitate omnes conflante in unum. Unde, quod Auguſtinus dixit ad Eccleſiam in Pſal. 121. opportunè applicat Societati, *O Jeruſalem* (ô Societas!) *quæ ædificaris ùt civitas, cujus participatio ejus in idipſum: fiat pax in*

*virtute tua, fiat pax in dilectione tua, quia virtus tua dilectio eſt.* Ex epiſtolis General.

## *Eodem die obierunt.*

3. In America apud Tepeguanos, annô 1616. P. Ferdinandus de Tovar, Indus. Illuſtri, & benefica erga Societatem ſtirpe ortus in Nova Hiſpania, cùm adhuc puer, videret matrem adornantem ſcriniolum pro aſſervando capite Patris Gundiſalvi de Tapia, recenter in odium fidei cæſi, ſcriniolum autem illud eſſet nimis anguſtum, dixit Ferdinandus ad matrem: Nimis anguſtus eſt loculus iſte pro hoc capite. *Serva hoc ſcrinium, mater, meo capiti, nam & ego ſic cadar.* In Societate totus effuſus in Tepeguanorum ſalutem, cùm veneficus quiſpiam illos concitâſſet in Patrem, & omne nomen Chriſtianum, Pater Ferdinandus clavâ profligatus, & lanceâ confoſſus, occubuit, inſultantibus barbaris, ut ſuum nunc *Pater noſter, & Ave Maria,* decantaret.

4. Ma-

4. Madriti in Hiſpania, annô 1629. P. Caſpar Sanctius, Hiſpanus. Humaniores literas rarâ conſtantiâ docuit per annos 30. & quidem per annos 12. curſu nunquam interrupto, etiam per triennium, quô Collegium rexit. Nunquam viſus eſt iratus, nunquam mentitus, nunquam alicujus gravis noxæ reus; humilitate autem, & religioſa ſimplicitate ſemper conſpicuus. Hucti juſſus Dæmon ab exorciſta in templo oſculari pedes P. Gaſparis, ſe abjecit, eóſque eſt oſculatus, Gaſpare illum, ut mendacii patrem arguente. Applicatus tamen Explicationi S.Scripturarum tradendæ in Collegio Complutenſi, tantô ſtudiô, & ingeniô id egit, ut 10. Tomos egregios interpretationis ſuæ ediderit. *Sotvellus in bibl.*

5. In Friſia annô 1651. P. Daniel Stullius Belga. Apoſtolico ſuo ſpiritu multum profecit apud eam gentem. Inter magìs arduos labores, illo ſe ſtimulo excitabat: *Bono animo eſto Daniel. Bene tibi erit. Magna illa gloria parvô pretiô non emitur.* Euchariſtiam à cu-



Digitized by Google

juſſam nauſeante ſtomacho ejectam ; intrepidus hauſit. Cùm ægro malè de ſe merito Evangelica charitate miniſtraret ; mortem indè, & vitam traxit immortalem.

## XVII. NOVEMBRIS.

1. BOnzios Japones cùm accepta heri ureret ignominia, nec matura adhuc videretur, quam concitarent, populi ſeditio, certamen infauſtum inſtaurare cum Xaverio decreverunt.

2. Pariſiis cùm & ſcholarium noſtrorum, & aliorum proborum creſceret notabiliter numerus, nec omnes caperent Sacelli anguſtiæ, novi jacta ſunt fundamenta ab Epiſcopo Cypri annô 1588. Soli Convictores ſexaginta ſupra ducentos, iique melioris notæ numerabantur. Collegio ſatis frequenti additæ lectiones de S. Scriptura, Lingua Hebræa, & diſciplinis Mathematicis, ut nihil jam deeſſet, quod ad perfectionem Academiæ deſideraretur. Apparuit etiam communis Procerum erga Societatem

pro-

propenſio in conventu, qui de publicis rebus habitus eſt. Ubi cùm non nemo adverſariorum agendum putaret, inſtaréque, de Societate vel ejicienda è regno, vel prohibenda docere; qui hujuſmodi propoſitionibus, & libellis excipiendis præerant, reſponderunt: Agendum potiùs eſſe, ut Collegia Societati quàm plurima per Galliam ſtruerentur. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. n. 106.*

## *Eodem die obierunt.*

3. In Paraquaria annô 1638. P. Joannes de Caſtillo, Hiſpanus. Impigre ſatagentem pro re Chriſtiana, Caciquii cujuſdam, divinitatem ſibi arrogantis, juſſu, turba barbara invaſit, fuſtibus delumbatum, nudúmque per invia, & devia raptavit, multis vulneribus concidit, telis confixit, denique arbori in modum crucis alligatum, ſaxis capiti illiſis, trucidavit. Baptizatos à Patre, ut quodammodo expiaret, impoſtor ille, capita eorum

 aquâ

aquâ calidâ abluit, linguas teſtâ raſit, quaſi infectas ſale Baptiſmatis, & profeſſione fidei Chriſtianæ.

4. Platæ in Hiſpania, annô 1626. P. Alphonſus Cortes, Hiſpanus. Scrupulis vexatus cùm à DEIpara V. remedium ardenter peteret, accepit ab illa monitum, ut eſſet magìs addictus juvandis animabus Purgatorii. Eidem ſolicito, num bene negotium ſalutis ſuæ ageret? reſpondit illa: *Bene ipſum, bene rem agere;* adjecit tamen: *ut ea, quæ ageret, majore perfectione exequi niteretur.* Adfuit etiam morienti, & liquidiſſimô ſolatiô clientem ſuûm perfudit.

5. Romæ annô 1638. Petrus Angelus Bonchriſtianus, Italus, Scholaſticus. Familiariſſima ei fuit ad eximiam virtutem incitatio Vitarum B. Aloyſii, & Joannis Berchmans lectio, quorum præcipuè imitabatur modeſtiam, ſilentium, & ſui afflictationem. B. Aloyſii vitam in ſinu geſtabat, & ante ac poſt ſumptam ſacram Synaxim, caput ex ea legebat. Triduô

ante

Digitized by Google

ante cineres carnibus omnino abſtinebat. Morti vicinus, auditus eſt ſæpe ingeminare: *Gaudeo Domine, quòd ſis immenſus, infinitus, omnipotens, miſericors, & ſummum bonum. Volo, quod vis. Exulto, quòd majeſtas tua ſit tam grandis, tam bona, & amabilis.* His intentus mori deſiit.

## XVIII. NOVEMBRIS.

I. S. Ignatius cum Sociis Romæ abſolvitur mirabiliter, ac liberatur juridicè ab atroci fœdáque calumnia, annô 1538. Comparuerat Romæ, & ſe in multorum gratiam inſinuaverat quidam, religioſum eremitam Auguſtinianum indutus, qui cùm etiam è cathedra præſumpſiſſet Lutheri commendare errores, notatus à Sociis Ignatii, ac privatim monitus, non tantùm non reſipuit, ſed ipſos monitores ſuos non dubitavit arguere hæreſeos, & accuſare. Ignatium, jactitabat, Compluti, Salmanticæ, Lutetiæ, ac noviſſimè Venetiis dam-

damnatum hæreſeos, & rogo cum ſcriptis ſuis addictum, fugâ ſibi conſuluiſſe, nominabátque hujus rei teſtes aliquot Hiſpanos ſui ſimiles. Denique eò rem deduxit, ut Ignatius cum Sociis, ſi non crederentur hæretici, vehementi tamen ſuſpicione laborarent, & ab hominibus paſſim desererentur. At ille, ut ordinatè procederet, inprimis ad Aſſertorem ſalutis ſuæ, principémque Advocatum Chriſtum recurrit, admonuítque eum promiſſi, quô nuper ſpoponderat, ſe illi, & Sociis Romæ propitium futurum. Audiit, nec opem diſtulit Salvator, indè illam more ſuo præbens, unde minimè poterat ſperari. Cardinalis, ſacri Collegii Decanus, falſis de Ignatio rumoribus ità fuit præoccupatus, ut amicorum quendam ſeriò moneret, nè quid commercii cum illo haberet. Is ubi id ipſum ad Ignatium detulit, nihilô commotior Ignatius, ſolùm petiit, ut ipſo admittente, poſſet cum Cardinale loqui. Ad ſecretum admiſſus

Digitized by Google

miſſus colloquium, ità ei ſuam probavit innocentiam, ut Cardinalis genibus flexis veniam ab illo precaretur, & poſt duarum horarum congreſſum, honorificentiſſimè deducens, fidum ſe illi Patronum ſemper futurum ſanctè teſtaretur, quod & præſtitit. Sic animatus Ignatius, non habuit ſatìs, privatim agnoſci innocens, coram publico Gubernatoris Urbis tribunali convenit calumniatorem, ut publicô decretô abſolveretur innocentia. Et quidem in prima actione manifeſtè confudit hominem, productô propriô ipſius ſcriptô, quo, antequam à Sociis Ignatii argueretur hæreſeos, inſigne ſcripſerat ad amicum elogium Sanctitatis Ignatii. Deinde opportuniſſima Divinæ Providentiæ diſpoſitione evenit, ut eodem planè tempore Romæ adeſſent Judices illi tres, à quibus Compluti, Pariſiis, & Venetiis dicebatur Ignatius eſſe damnatus. Rogati ergo, perlibenter teſtimonium dederunt veritati, non ſinè encomio ipſius luculen-

Digitized by Google

lento. Adfuerunt & ex variis Urbibus, in quibus laboraverant Socii, teſtimonia graviſſima Epiſcoporum, & principum, non ſolùm de innocentia, ſed etiam ſanctitate illorum. Viſum ergo fuit non paucis, & ipſi Gubernatori, ſatisfactum eſſe cumulatè Ignatio tam præclaris documentis, nec eſſe neceſſe, ut ad publicam palinodiam adigerentur calumniatores, aut Decretô Judicis finiretur causa. At ille non præſenti ſolùm, verùm & futuris proſpecturus temporibus, ad ſummum Pontificem recurrit, ſupplicavítque: ut negotium Decretô publicô terminaretur. Annuit Pontifex, nec Gubernator ampliùs tergiverſari potuit. Solemni ergo perhonorifico decreto calumnias accuſatorum detexit, ac diluit. Ignatii verò doctrinam ſanam, ſanctámque vitam commendavit; DEUS autem non multum dilatâ vindictâ calumniatores ſeverè caſtigavit. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 2. n. 24. &c.*

2. Co-

2. Coram Clemente VIII. habita eſt annô 1602. Congregatio Decima, & diſputatio de Auxiliis Grat. Cùm autem Gregorius de Valentia Theologus Societatis adverſa laboraret valetudine, ſubſtitutus ei eſt P. Petrus Arrubal Profeſſor Romanus. Propoſuit Pontifex: *An Molina conſentiat Caſſiano quoad hanc Propoſitionem: Quòd homo in natura lapſa habeat naturale judicium ad cognoſcendum bonum, & malum; habeátque naturalem facultatem ad utrumque amplectendum, abſque eo, quòd aliquam ponat diſtinctionem?* Reſpondit Arrubal: Molinam illi non conſentire. Quamvis enim in homine lapſo agnoſcat naturale illud judicium, & naturalem motum voluntatis: non tamen ſine diſtinctione agnoſcit. Diſtinguit enim ſemper, quòd tale judicium intellectûs, & motus voluntatis ſolùm valeat ad finem naturalem, non autem ſupernaturalem: qua diſtinctione non utitur Caſſianus. Probavit utrumque. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 5. c. 14.*

3. An-

3. Annô 1603. eodem die habita eſt Congregatio, & diſputatio XXI. Quæſitum fuit: *An juxta S. Auguſtinum, Liberum arbitrium, & Gratia ſint duæ cauſæ partiales, concurrentes ad eundem actum efficiendum?* Reſpondit P. Baſtida, eam omnino eſſe doctrinam S. Auguſtini, probavítque latè. *Ibid. cap. 25.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Romæ annô 1575. P. Jacobus de Ledeſma Hiſpanus. Romam tendenti, ut Societatem ingrederetur, Auguſtæ Chriſtus D. conſpiciendum ſe dedit, bono animo eſſe juſſit, promiſitque futurum, ut caſtè, & perſeveranter in obſequio DEI perſiſteret. Brixiæ verò vidit, audivítque DEIparam V. eadem, & auxilium in morte promittentem. Adfuêre cum illa Sanctæ, Maria Magdalena, S. Catharina Martyr, & S. Catharina Senenſis, quæ in receſſu, cœleſti voce extollebant virtutem caſtitatis, canentes: *Quantum eſt donum caſtitatis, quod confert DEUS*

*pie-*

Digitized by Google

*pietatis ! Divina res eſt caſtitas, Divina ſunt, & præmia, quæ continenti dat DEUS.* Vixit in Societate excellenti virtute, atque doctrina, altioribus ſtudiis diu præfectus.

5. In Nova Hiſpania, apud Tepeguanos, annô 1616. odio fidei à barbaris trucidati occubuerunt, P Didacus de Oroſco, Marchionis Mortaræ nepos, P. Bernardus de Ciſneros, P. Ludovicus de Alabes, & P. Joannes de Valle, Viri ad tam glorioſum mortis genus præclarè diſpoſiti excellenti virtute, præſertim ſui mortificatione, & Apoſtolico zelo. Illud ſingulare occurrit de Patre Ludovico, quòd, cùm eum adhuc infantem, ſacris undis tinctum, in librum baptizatorum referret Parochus, è S. Dominici familia Religioſus, quodam præclaræ, cruentæque illius mortis vaticinio, ſolius illius nomen, præter morem, grandi, & rubro charactere in librum retulerit. Ajunt DEIparam V. ter ipſi locutam, & de genere mortis odio fidei inferendæ, diſertè certiorem feciſſe, etiam die expreſſo, quô id fu-

Digitized by Google

futurum eſſet. Ut igitur ad tam glorioſam mortem rite ſe diſponeret, multa caſtigatione corpus exercebat, animum verò prolixa excolebat oratione, ad tres quatuórve horas producta.

6. P. Joannes de Valle. Mira induſtria, & labore Indos excolebat. Ut eos arare doceret, cibóſque parare, factus eſt illis colonus, coquus, pater, frater, ſervus, & omnia. Arte pacificandi diſſidentes, mirificè præſtabat, unde *P. Joannes à Pace* dictus eſt. DEIparæ V. ſuprà quàm explicari poſſit, addictus, in omnes artes eam colendi, & extollendi aſſiduè intentus erat, reſpondítque Virgo pari affectu Clienti ſuo. Trimeſtri ante mortem ſcripſit: ſe à Tepeguanis odio fidei occidendum.

## XIX. NOVEMBRIS.

I. CUm Romæ novum domûs Profeſſæ templum, regali munificentia Alexandri Farneſii Cardinalis erectum eſſet, placuit Claudio Aquavivæ annô 1587. Reliquias S. P. Ignatii in illud referre hoc die, tempore ſcilicet,

licet, quo ex omnibus Provinciis miſſi Procuratores convenerant Romam. Conditæ ſunt ſub dextrum latus aræ majoris, cum inſcriptione lapidi inciſa: Ignatio Societatis JESU Fundatori. Quæ quidem translatio mirô ornata eſt ſpectaculô. Nam tumbâ apertâ, in qua depoſita erant ſacra lipſana, viderunt illa quidam ex Patribus præſentibus, ſtellis quibuſdam conſperſa, vividiſſimo ſplendore micantibus, aurei unius magnitudine. *Bartol. in Vita S. Ign. lib. 4. num. 39.*

2. Londini in Anglia annô 1581. è carcere, in quem odio fidei compacti fuerunt, P. Alexander Briantus, aliíque plures Confeſſores, evocati rurſus ſunt ad tribunal ad ſententiam audiendam. Ceteros anteibat P. Alexander, crucem, quam in carcere ſibi fabricârat, manu præferens. Incuſatus ab hæretico audaciæ, juſſúſque, illam abjicere: *Neutiquam*, inquit. *id faciam: Miles Chriſti ſum, vexillum ad mortem uſque non deſeram.* Audacior alter cùm crucem illi eripuiſ-

puiſſet; *Potes* inquiebat, *Crucem mihi extorquere de manibus, de corde non potes. Moriar pro eo, qui prior mortuus eſt pro me.* Pronuntiata in omnes capitali ſententia, vultu hilari, elatáque voce occinuit P. Edmundus Campianus: *Te DEUM laudamus, te Dominum confitemur!* Servinus ſubjecit: *Hæc dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea!* Alii alia, omnes exultabant in DEO JEſu ſuo. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 1. n. 246. & ſeqq.*

3. Anno 1696. cùm elapſum eſſet novennium à poſtrema Congregatione Generali XIII. inchoata eſt ſub P. Thyrſo Gonzalez Præpoſito Generali Congregatio XIV. Quamvis enim indicta fuiſſet in diem 15. Nov. quia tamen aliqui adhuc non advenerant, qui ſperabantur propediem adfuturi; dilatus eſt Conventus in hunc diem. *Ex Decret. Congreg.*

## *Eodem die obierunt.*

4. In Nova Hiſpania, apud Tepeguanos

Digitized by Google

ános annô 1616. P. Joannes à Fonte, Hiſpanus, odio fidei cæſus à barbaris, cum Hieronymo Moranta, & ipſo Hiſpano. Fuit P. Joannes omnino indefeſſus in laboribus, & ærumnis. Ipſe laterculos Indis conficiebat ad domos conſtruendas, ipſe aratra fabricabat, & ducebat, ipſe ſanis famulus, infirmis coquus, medicus, nutritius, pater, & omnia. P. Hieronymus verbo, & opere potens, plurimis ſaluti fuit, vel una concione convertit quingentos. Deprehenſus eſt aliquando in loco ab arbitris remoto, altera manu Crucifixum geſtans, altera acerbè ſe flagellans, & ubertim plorans, oránſque pro Indorum ſalute, & concionum ſuarum efficacitate. Cædendum in fidei odium, prædixit Alphonſus Rodriquez. Ipſius, & Sociorum pro fide cæſorum herì ac hodie, corpora, poſt tertium menſem reperta ſunt humi ſtrata ciliciis tecta, & plānè recentia, duobus canibus illa cuſtodientibus.

5. Romæ annô 1672. P. Joannes Bapt. Giattinus, Siculus Panormitanus.



Digitized by Google

vir tam præſtantis ingenii: ut omnes diſciplinas liberales, quas tradit Societas, egregiè ſit aſſecutus, & magna cum laude docuerit. Præter patriam, & Latinam linguam calluit Græcam, Hebraicam, Syriacam, Chaldaicam, & Arabicam; manibus quoque à natura inſtructus tam induſtriis, ut facilè, quidquid faciendum occurreret, effecerit. Hiſtoriam Concilii Tridentini à Card. Pallavicino Italicè conſcriptam, inſigni elegantia in Latinum tranſtulit idioma, variáſque conſcripſit Tragœdias, & Comœdias, quas ferè quot annis agunt Romani Seminarii adoleſcentes, plaudente, & proficiente auditore. Inter literarios hoſce labores non minùs illum exercebat virtutis religioſæ ſtudium, atque animarum zelus, quibus juvandis, & frequenter ad populum dicebat conciones, & pœnitentibus nunquam defeſſas aures dabat. *Sotvell. in bibl. Soc.*

## XX. NOVEMBRIS.

I. GRegorius XIII. Pont. Max. Facultatem olim à Paulo III. conceſ-

Digitized by Google

ceſſam Societati, ut etiam non initiati ſacris ordinibus, ſi tamen idonei eſſent, poſſent prædicare verbum DEI, renovavit, & extendit etiam ad Clericos primâ tonſurâ tantùm inſignitos, diſtinctè prohibendo, ne quis illos impedire præſumeret. *Bullar. ſocietatis.*

2. S. Xaverius poſt acres in Japonia cum Bonziis concertationes, & quadriennem in Japonia commorationem, Rege Bungi ultimùm ſalutato, inter Chriſtianorum lacrymas, & votorum nuncupationes pro ejus reditu, ſolvit in Indiam annô 1551. In eo itinere decumana tempeſtate jactatus, grandi miraculo navim ſalvavit, ſed grandiore ſcapham, quam cum hominibus quindecim à navi avulſerat tempeſtas. Cùm enim crederetur, vel ſtatim interiiſſe, vel navim nequaquam aſſequi poſſe, Xaverius mente ad DEum elevata prædixit: ſcapham ante triduum elapſum adfuturam ſalvis omnibus, quos vehebat. Nec fefellit eventus. Adfuit tandem, & ultro, commodéque ad navim acceſſit ſcapha; cúmque ex illa e-

ducerentur amiſſi, ac rogarentur: quomodo tanto tempore jactati, adeſſe potuiſſent? reſponderunt: ſe præſente Xaverio timuiſſe nihil, ipſum omnibus animos addidiſſe, imò & ſcapham rexiſſe, ídque juramentô affirmabant. Tum verò omnes occupavit ſtupor, ſiquidem, & qui in navi erant, Xaverium ſemper in oculis habebant, & qui in ſcapha jactabantur illius præſentia, & ope non carebant, communicante ſe Apoſtolo omnibus, etiam ultra vires naturæ. *Bartolus in Vita lib. 3. n. 50.*

3. Apud Sinas annô 1585. P. Rogerius, & Almeida opportuniſſima occaſione invitati Sciauquino diſcedentes, ubi P. Riccium cum Fratre Lancitani reliquerunt, in Sinarum interiora feliciſſimè penetrârunt, navigatione amœniſſima per duos menſes protracta. Interim Riccius Sciauquini alterum publicum baptiſmum inſigni pompa inſtituit, baptizatis perſonis 20. ſelectis. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 5. num. 163.*

Eo-

*Eodem die obierunt.*

4. In Hiſpania annô 1581. P. Didacus Boraſſa, Hiſpanus. Romæ, Dilingæ, Pariſiis, tanto nomine, ac frequentia Philoſophiam docuit, ut alicubi *Philoſophi* cognomentum tulerit, à quingentis auditus. Ceterùm ſimplicitate religioſa, & obedientiâ cœcâ fuit illuſtrior. Hirundinem in arbore ſedentem accipere juſſus, ivit, & aviculam facilè cepit, atque ad Superiorem detulit, DEO vetera Patrum exempla reſtaurante, ac commendante.

5. In Hiſpania Nova apud Tenerapam annô 1616. P. Ferdinandus de Santaren, Hiſpanus, odiô fidei à barbaris Tepeguanis cæſus, poſt multos labores illorum causâ exantlatos. Avidiſſimus ærumnarum dictitabat: *Velle ærumnâ carere, idem eſſe: ac velle Chriſto tergum obvertere, atque illum ſolùm ſub cruce relinquere.* Per annos 23. horridam illam vineam infractô animô coluit, DEO tandem par labori incrementum dante. Suprâ 40. nova templa erexit, atque ùt minimùm quin-



Digitized by Google

quaginta millia capitum ſua manu baptizavit. Qui fidei felix progreſſus non potuit non exacerbare dæmones, & ſatellites eorum, ut ad opprimendos omnes Chriſti operarios conjurârint, & non paucos, de quibus præcedentibus diebus, ſuſtulerint morte cruenta. Præluxit P. Ferdinandus neci ſuæ crebra, acríque corporis ſui caſtigatione, cui non proprias ſolùm adhibebat manus, ſed ſubinde à duobus Indis arbori voluit alligari, & dira flagellatione concidi. Ante mortem rogavit barbaros, qua de cauſa, violentas manus ſibi inferrent? Reſpondêre barbari ſatis ſupérque cauſæ eſſet, quod Chriſtianus Sacerdos eſſet. Itâ illi clavâ confractum caput, cerebrúmque diſperſum.

## XXI. NOVEMBRIS.

I. POſt obitum P. Mutii Vitelleſci, Præpoſiti Generalis, ex ejus, dum viveret, ſcripto ſuffragio renunciatus eſt Vicarius P. Carolus Sangrius Aſſi-

Digitized by Google

Aſſiſtens Italiæ, qui Congregationem Generalem Octavam indixit, inchoavítque hoc die, annô 1645. à qua electus eſt Generalis P. Vincentius Caraffa. *Ex Decr. Congr. 8.*

2. Apud Sinas cùm P. Franciſco Petrio conceſſa eſſet annô 1565. venia adeundi Cantonem urbem Sinenſem, datus eſt illi hodie Senatus, coram quo exponeret poſtulata ſua. Expoſuit ille per libellum ſupplicem, ſe eſſe hominem literarum amantem, & præter ſcientias naturales, etiam cæleſti quadam, & divina inſtructum ſe eſſe, ad quam florentiſſimo, & eruditiſſimo illi regno communicandam, optare ſe ac petere ſtabilem locum, in quo poſſet figere domicilium, & pro Regis ac regni felicitate offerre DEO cœli, & terræ ſacrificia. Quæſitum eſt ex illo: quænam eſſet illa cæleſtis, divináque doctrina? Reſpondit Pater, Docere ſe quomodo DEUS cœli, terræque Conditor ſit colendus, cujus beneficiô homines vitam, & beatitudinem æter-

nam conſequi poſſent, cultum autem illum conſiſtere partim in certis ritibus, partim, maximè, in obſervatione mandatorum ejus, qualia ſunt, fidem, ac pietatem colere, parentes honorare, proximum diligere, nemini injuriam facere &c. Quibus auditis, Mandarini ſe invicem admirabundi inſpectantes, continuò veſtem purpuream Damaſceno textu afferri jubent, eámque humeris Patris injiciunt, tanquam teſſeram viri præſtantis, ac eruditi. Sed plus impetrari tunc non potuit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib.* 1. *n.* 140.

3. In Luſitania annô 1617. Venerab. P. Franciſcus Suarez, jam annos viginti defunctus, inſigni beneficio recreavit Fratrem noſtrum Hieronymum de Sylva, Coadjutorem, hominem vitæ valde religioſæ, & P. Franciſco, dum viveret, perfamiliarem. Habebat is in more, ut diem Præſentatæ in templo DEI-paræ V. communione Euchariſtica celebraret, conſtitutus autem in itinere quodam, cùm

Digitized by Google

cùm copiam habere non poſſet divini epuli, deflexit in via ad deſertum quoddam Sacellum, ut ſaltem piis affectibus paſceret animam. Et ecce procedentem ad ſe videt Franciſcum, ſibi notiſſimum, Sacerdotali habitu indutum, auratam lævâ pyxidem geſtantem, qui ubi dixit ſe divinitus miſſum ad eum conſolandum, cæleſtem ei panem porrexit, deſiítque videri liqueſcente præ animi deliciis Hieronymo. *Maffejus in Vita P. Suar. cap. 24.*

*Eodem die obierunt.*

4. Romæ annô 1584. P. Franciſcus Turrianus, Hiſpanus. Concilio Tridentino magna doctrinæ opinione atque authoritate interfuit, à ſummo Pontifice miſſus. Societatem amplexus eſt ætate jam gravis, at ſenecta utili adhuc, & viridi, inter tyrones magno planè humilitatis documento verſatus. Illud multæ, atque reconditæ eruditionis ſuæ, ac poſitæ operæ in

pervolutandis bibliothecis pretium tulit, quòd, cùm Pius V. feſtum Præſentationis è Breviario, ceu minùs antiquum, expungi paſſus eſſet, ille ex vetuſtiſſimis ſcriptis, atque Patrum authoritatibus, itâ antiquitatem ejus Feſti probaverit, ut reſtitutum ſit. Cujus laboris præmium videtur fuiſſe pia mors ipſo hoc DEIparæ V. feſto oppetita. Virtutem eximiam admiranda eruditione, & copiâ editorum Librorum eximiè illuſtravit, ſupra quinquaginta recenſet *Sotvell. in bibl. Soc.*

5. Ingolſtadii in Germania an. 1634. Nicolaus Martinus, Scholaſticus, Germanus, morum innocentiâ, magnô Indiarum deſideratarum zelô, atque heroica charitate inſignis. Tertium philoſophiæ annum agens, cùm peſtem latè graſſari videret, advertit ſe jacturam Indiarum, quas impetrare nondum potuerat, utcumque compenſare poſſe glorioſo labore in obſequio peſtiferorum. Annuente itaque ſuperiore, ſolennibus verbis ſe devovit DEO pro ſalute Sociorum: & biduo pòſt

Digitized by Google

poſt ſuffocatus catarrhô, inſignis victima charitatis occubuit.

6. In caſtris Sigiſmundi III. Regis Poloniæ, ad Smolenſcum, annô 1609. P. Fridericus Bartſchius, Prutenus. Societatem Romæ ingreſſus, Viennæ Auſtriæ Theologiâ excultus, Vilnæ in Litvania Theologicâ laureâ ornatus, datus denique eſt Sigiſmundo Regi arbiter conſcientiæ. Propter eximias virtutes, excellentem doctrinam, & in converſando comitatem, Proceribus regni, aulicis, & ipſis hæreticis gratiſſimus, & venerabilis, ſecutus eſt regia caſtra ſub Smolenſcum in Ruſſiam: ubi, dum militibus contagioſa lue infectis, impigre omnem impendit operam, contracta lue deceſſit. Corpus Vilnam jusſu regis delatum, ſolemnibus exequiis, panegyri, & præſentia Sereniſſimæ Reginæ Conſtantiæ cum Principe Filio, eſt honoratum. *Sotvell. in bibl. Soc.*

7. Bruxellæ in Belgio annô 1658. P. Jodocus Andries, Belga, Eccleſiaſtes eximius, & indefeſſus per annos propè 40. etiamſi ſubinde bis, vel ter in

 diem

diem dicendum eſſet. Fuerunt fide digni, qui affirmârunt, vidiſſe ſe dicentem cæleſti luce circumfuſum, & aliquando ſtellam ejus vertici inſidentem. Cùm advertiſſet, ex parvis libellis piis, vel patentibus foliis, in populum ſparſis, ferè plus fructûs colligi, quàm ex majoribus; plurimos edidit, præſertim *de Perpetua Chriſti Cruce*, & *de Perpetuo gladio Reginæ Martyrum* retulítque uberrimum operæ pretium. Moriens, alacri voce exclamavit: *In Cælum! in Cælum!* & abiit. *Sotvell. in bibl. Soc.*

## XXII. NOVEMBRIS.

I. P. Franciſcus Petrius cùm ſatis ſpecioſè Profeſſionem ſuam expoſuiſſet Gubernatoribus, & Magiſtratui Sinenſi, ùt herì narratum, re infecta Macaum, unde venerat, ſe recipere coactus eſt. Quamvis enim non deeſſent Mandarini quidam, qui cenſerent, Viro tali, qui non aliud quæreret, quàm DEI cœli, & virtutis cultum, poſſe concedi domicilium; ſanctior

ctior tamen apud plures, & altiores fuit lex patria, de non admittendis peregrinis. Negotium quoque legationis Regis Luſitani ad Sinarum Imperatorem rejectum eſt, epiſtola tamen valde officioſa data ad Regem, quâ ſe purgavit Imperator. Patri Petrio ſpem domicilii fecerunt nonnulli Mandarini, ſi meliùs inſtructus lingua Sinenſi veniret: ut opus non eſſet interprete. Sed videtur fuiſſe officioſa rejectionis excuſatio. Curiæ divinæ nondum viſum eſt tunc maturum negotium illud, *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 1. n. 142.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Guadixii in Hiſpania, an. 1601. P. Petrus Bernal, Hiſpanus. Magnam ſanctimoniæ opinionem ſibi comparavit, orandi, ſe mortificandi, & animas juvandi ſtudiô, vitiis extirpatis. Contra jurandi conſuetudinem tanto ardore dicebat; ut etiam parvuli dictitarent, ſe non juraturos, nè P. Bernal habeat, cur indignetur. Multa ex vero prædixit, & morbos periculoſos impoſitione manuum fugavit. 3. Por-

Digitized by Google

3. Porti in Luſitania annô 1656. P. Nicolaus Nugentius, Hibernus, Magni Eccleſiaſtæ elogium meritus, patriam ſuam per annos 40. multo labore excoluit difficillimis temporibus. Angli Præſidis juſſu tentus, quatuor annorum ærumnoſum carcerem toleravit, non ſuo tantùm, ſed Catholicorum etiam ad ipſum confluentium magno fructu. Proſcriptus denique ex Hibernia, in Luſitaniam ſe recepit; ubi & operarium, & Sociorum Superiorem inſigniter egit, ſuô tamen gubernandi modô non contentus, quoties, poſito magiſtratu, meminit obitæ gubernationis, à lacrymis ſibi temperare non potuit. Morbos non paucos oblatô pro ægris ſacrificiô divinô, feliciter curavit.

3. In monte Frigido in Hiſpania an. 1607. P. Ferdinandus de Adamo, Hiſpanus. Invitatus à Præpoſito Provinciæ ad obeundas ſacras Miſſiones, obtentu valetudinis debilioris ſubduxit ſe labori. At poſtea cùm Aſceticas S. P. N. exercitationes obiret, apertum

Chriſti

Chriſti latus intuitus, perfuſúſque divino lumine, erubuit, & cum lacrymis Miſſiones petiit, quas Apoſtolicô planè zelô obibat, ingenti animarum fructu. Unde dæmon aliquando auditus eſt dicere, Allamellum (ità eum per contemptum vocabat) eſſe unum ex iis, quos haberet maximè inimicos.

## XXIII. NOVEMBRIS.

I. DIes hic magnum virum dedit Societati annô 1545. Hieronymum Natalem, quem S. Pater, cum adhuc uterque Pariſiis vacaret ſtudiis, jam maximè idoneum vidit propoſitis ſuis, captabátque hominem omnibus, quibus poterat, modis. Sed ille, quamvis pietati apprimè deditus, remis velíſque fugiebat viam perfectionis, quam monſtrabat Ignatius; & cum hìc aliquando preſſiùs inſtaret, Hieronymus productum Evangelii codicem exhibens; En, inquiebat, quem ego ſequar; non te, qui quem exitum habiturus ſis cum Sociis tuis, ignoro; ſimúlque evolavit è conſpectu. Sed

inſe-

inſecutus eſt eum DEus, nec ullam animo quietem dedit, donec poſt annos complures, confirmata jam Societate, & Viris, rebúſque geſtis florente, præſertim poſtquam S. Xaverii ex India datas literas legit; Romam ſe contulit, & ad obeunda Spiritualia Exercitia, quæ hactenus ſummè vitârat, animum applicuit. Ibi variis primùm agitatus ſpiritibus, tandem poſt decem, & octo dies, tam copioſo cælitus perfuſus eſt lumine, ut ſinè mora ulteriore, hoc die votum emiſerit, & ſcriptô conſignârit de ineunda Societate, & viliſſimis in ea officiis obeundis. Sic tandem annumeratus eſt Sociis, qui pridem potuerat eſſe unus de principibus ejuſdem familiæ, magnóque deinceps uſui fuit S. Ignatio, ad res magnas gerendas. *Orland. hiſt. Soc. lib. 5. n. 4. & ſeqq.*

2. In Luſitania, poſtquam Fr. Hieronymus de Sylva, à Ven. P. Franciſco Suarez, divinitus ſpectabili, ſacra Communione refectus fuiſſet, prout 21. Novemb. narratum, rediit ad Collegium

legium ſuum Portuenſe, certus nemini patefacere, quod ſibi contigerat in via. Sed DEus, ſalva viri humilitate, rem geſtam aperuit per Sanctimonialem è familia S. Claræ, quæ miſſâ ad P. Rectorem Collegii ſchedâ, impensè eidem commendavit Fratrem Hieronymum, tanquam virum DEO charum; expoſuítque diſtinctè, quomodo à P. Suarez pridem defuncto, divinô epulô refectus fuit. *Maffejus in Vita P. Suar. cap.* 14.

## *Eodem die obierunt.*

3. Pragæ in Boëmia annô 1613. P. Marcus Soldanus, Italus in obſequio peſtiferorum extinctus, cum aliis, in ſimili per Boëmiam obſequio, ſimiliter coronatis. Multa egregiè geſſit in commodum miſerorum, ideóque *Pater pauperum* dictus. Jam antè ter in peſtilentem illam arenam deſcenderat, exierátque ſalvus, & victor, quarta vice proſtratus eſt, non tamen coronam amiſit, ad quam paucis ante obitum diebus, ipſum vocaverant SS. Ignatius

&

Digitized by Google

& Xaverius, qui ſe ei cum ſplendidâ plurium ſociorum corona ſpectandos dederunt. Morte ſua ſecuritatem peperiſſe viſus eſt ſuperſtitibus in eadem arena ſociis, nemine poſt illum extincto.

4. Cartilionæ in Italia annô 1621. P. Hector Lupatinus, Italus. Caſtimoniæ tam ſeverus cuſtos fuit à teneris, ut, ex quo rationis uſum adeptus eſt, nullum fœminæ ullius miniſterium, nedum familiaritatem admiſerit. Patavii in lectulo Hectoris, philoſophiæ tunc ſtudentis, nondum religioſi, collocârunt fœminam inſolentes, & impudentes quidam: quam ille ubi domum redux vidit, confeſtim ſe fugâ de illa domo eripuit, nec in eam unquam pedem retulit. In Societate cùm fœminas confitentes audiret, aures illis tantùm, non oculos dabat, eáſque expediebat pari ædificatione, & brevitate. Charitate, patientiâ, obedientiâ præſtans, & æger, & ſanus nihil unquam aggrediebatur, niſi habito ſuperioris, ità volentis, nutu; qui nu-

Digitized by Google

nutus etiam ſufficiebat ad inchoatum quodlibet opus omittendum.

## XXIV. NOVEMBRIS.

I. PIus IV. Pont. Max. cognitô decretô, in Hiſpania condito, quô vetabat Rex Philippus II. ex Hiſpania Romam mitti Collegio Romano ſubſidia quædam, pleniſſimam affectu paterno epiſtolam dedit an. 1561. ad eundem Regem pro Societate, & in particulari, pro Collegio Romano. Et officio, inquit, noſtro convenit, Religioſam vitam degentes patrociniô noſtrô diligenter tueri ac fovere; & Regibus maximè expedit, de ſervis ejus, per quem ipſi regnant, quàm optimè mereri. Dominus noſter in ſervis ſuis recipitur, & honoratur, ſicut ipſe in Evangelio dixit: Qui recipit vos, me recipit. Sed inter Religioſorum Ordines, ſingulari ab Apoſtolica Sede ſtudio, meritò complectendus eſt is Ordo, qui non ità pridem inſtitutus, & ab hac Sancta Sede confirmatus, JEſu Societas appellatur. Hi enim operarii,

rarii, licèt noviſſimi, tanquam nonâ diei horâ, in vineam Dominicam ab ipſo Domino inducti ſunt, adeò ſtrenuam tamen, & utilem operam navare cœperunt, ut non modò ſpinas ex ea, & vepres evellere aggreſſi ſint, ſed ipſam etiam alibi auxerint, & propagârint. Incredibile ferè eſt, quantum tam brevi tempore hic Ordo profecerit, quantum Eccleſiæ DEI utilitatis attulerit &c. Deſcendens poſtea Pontifex ad Collegium Romanum: Hujus Ordinis, inquit, maximum in hac alma Urbe Collegium habemus, quod tanquam Seminarium quoddam eſt aliorum, quæ per Italiam, & extra Italiam, in Germania, & Gallia propagantur. Ex hoc uberrimo Seminario Apoſtolica Sedes inſtituit delectos idoneos Miniſtros, tanquam generoſas, & frugiferas plantas, alios aliò, prout uſus venerit, conſerendas mittere. Nullum unquam hi laborem pro DEI honore, & hujus Sanctæ Sedis obſequio recuſant. Itaque multum

de-

debemus huic Collegio ità de Religione Catholica merito, & aſſiduè merenti. Quamobrem Majeſtatem tuam hortamur in Domino, rogamus, & in remiſſionem peccatorum ſuademus, ut pro tua præſenti in DEUM pietate, in Religioſos, & bene de Chriſtiana Religione merentes Ordines, liberalitate, ſicut Rex verè Catholicus, hoc Collegium complectare, & quàm commendatiſſimum habeas &c. *Sacchin. hiſt. Soc. p, 2. lib. 5. num. 158.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Salmanticæ in Hiſpania an. 1601. P. Franciſcus Ribera Hiſpanus, Concionator, & animarum zelator præſtans. Talis cùm etiam in ſeculo eſſet, Societatem ingreſſus eſt, poſtquam à P. Martino Guttierez audivit: *DEO conſecrandum eſſe, quod habemus optimum,* id eſt, liberam voluntatem. Magiſtro P. Balthaſare Alvarez, eos fecit in virtute ſolida progreſſus, ut exemplar eſſet perfectionis religioſæ. Concionan.

nantem ad populum, vidit S. Thereſia, quæ ipſo utebatur Confeſſario, ingenti ſplendore circumfuſum, Chriſtum verò Dominum aſſiſtentem, atque in ejus humeros reclinatum, eúmque ſuavi amplexu foventem. Audivit quoque dicentem: *Hic eſt, ô Anima, qui ſenſu germano ſcripturas meas, ea veritate, quam ipſi infundo, explicat. Novit ipſum earum pretium expendere, quas ego mortalibus mei ſanguinis, effuſione comparavi. Gratulare tibi, quod eum habeas à Confeſſionibus; obtempera dictis ipſius: ità voluntati meæ feceris ſatis.* Tertio poſt mortem die viſus eſt multâ gloriâ conſpicuus ante thronum DEI, è cujus pectore pulcherrimus lucis radius promicans, P. Franciſcum miro ſplendore, & gaudio perfundebat. Unde patet quantum authoritatis debeatur doctiſſimis ejus Commentariis, quæ edidit in Epiſtolam ad Hebræos, atque in Evangelium, & Apocalypſim S. Joannis.

3. Villagartiæ in Hiſpania, an. 1621.

P.

Digitized by Google

P. Bartholomæus Perez, Hiſpanus. Regularum amantiſſimus, & obſervantiſſimus, ſemper eas circumferebat in ſinu. Quoties è cubiculo prodibat, ferè ſemper Tabernaculum Euchariſticum inviſebat. Jam morti proximus, & viribus deſtitutus petiit, an poſſet bonâ conſcientiâ omittere annotationem conſuetam punctorum, in libello Examinis particularis? manabátque jugibus lacrymis, quòd tempus in Societate non optimè, juxta genium ipſius, collocâſſet.

## XXV. NOVEMBRIS.

I. HAbita eſt annô 1603. Congregatio, & diſputatio de Aux. coram Clemente VIII. vigeſima ſecunda. Argumentum diſputationis fuit: *An, quòd liberum arbitrium ex ſe, ſeparatum à gratia, nihil habeat à DEO, niſi poſſibilitatem illam, quam DEus tribuit ab initio, ſit ex ſententia S. Auguſtini, vel potiùs Pelagii?* Reſpondit P. Baſtida, diſtinguendo tres ſenſus iſtius quæſtionis, oſtendítque ex mente S. Auguſtini,

ni, & Molinæ, Liberum arbitrium concurrens ad actum bonum, plus omnino habere à DEO, quàm poſſibilitatem illam. Quia DEUS per gratiam ſuam ipſum arbitrium movet, excitat, & adjuvat, ut actu operetur, & non ſolùm poſſit operari. Prolixè, clarè, & nervosè hæc deduxit Baſtida. *Eleuther. de Auxil. lib. 5. cap. 26.*

2. B. Aloyſius Gonzaga, à DEI-para monitus de ingredienda Societate, toto triennio cum Patre, Marchione Caſtilionenſi, invictâ conſtantiâ luctatus, tandem aſſenſum obtinuit, & annô 1585. die Divæ Virgini, ac Martyri Catharinæ ſacro, Romæ tyrocinium Societatis eſt ingreſſus. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 5. n. 45.*

3. In Hiſpania annô 1551. Cordubam venerunt Socii ad inchoandum Collegium; quod noſter P. Antonius Corduba, vir de principe familia, moliebatur, ſed abſolvit Joannes Corduba, ei ſanguine junctus, Decanus Cordubenſis. Erat is genere, & opibus

bus præpotens, avidus autem cogno-ſcendæ Societatis. Ubi ergo audivit, veniſſe Cordubam Patrem Villanovam cum Sociis, omnes invitat ad ſe, hoſpitium præbet, liberaliter hoſpites habet, ſemper autem intentiſſimus, & diu noctúque deditus explorandis eorum non ſolùm moribus, ſed mentibus, dabátque paſſim occaſionem, ut eos caperet. Sed dum hoc agit ſolicitiùs, capitur ipſemet. Cùm enim nihil deprehendere poſſet tota induſtriâ ſuâ alienum à moribus religioſis, ſuſpicere cœpit, ac amare Inſtitutum tale, eóque res devenit, ut domum propriam offerret pro Collegio, redditus quoque aſſignaret annuos, & quod caput eſt, vitam ipſe, ſtatui ſuo non conformem, cum ſtupore civitatis mutaret in Prælato Eccleſiaſtico dignam. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 13. n. 39.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Aviſii in Luſitania annô 1590. P. Ludovicus Alvarez, Luſitanus. Concionado tantam nominis celebritatem

aſſecutus fuit, ut Summus Pontifex P. Præpoſito Generali dixerit, ſibi relatum: comparuiſſe in Luſitania novum quendam Paulum, è Societate, ità ardebat ejus oratio, & intimas oſſium medullas penetrabat. Etiam in provecta ætate pedes obibat trans Tagum, libros ipſe bajulans; & cibi aliquid; ſi nihil ſecum attuliſſet, precariò victitabat, Xenodochio diverſorii vice uſus. Mundum muliebrem inſolentiorem acerrimè inſectatus, prædixit: Brevi fore, ut vanum, petulantémque illum ſplendorem barbaris darent fœminæ, ad redimendos è vinculis maritos. Quod evenit poſt funeſtam illam Sebaſtiani Regis in Africa cladem. Putatur P. Ludovicus venenô ſublatus à quodam, cujus pravos mores corrigere ſtudebat.

5. Madriti in Hiſpania an. 1627. P. Rodericus Ninno de Guzman, Hiſp. Illuſtriſſimos natales ſplendida virtute, & ſingulari animas juvandi ardore ornavit. Ut obſcurus, & ignotus viveret, quamvis ſublimioribus tradendis

ſci-

ſcientiis peridoneus, Grammaticæ claſſi infimæ docendæ applicari efflictim petiit, & obtinuit. Sed non diu lucerna hæc ſub modio illo latere potuit. Evectus ad Cathedram Eccleſiaſticam miros plauſus, & animorum motus excitavit, ſemélque auditus à Philippo IV. Rege mox in Aulicum Concionatorem aſſumptus eſt. Illud ſingulare, & planè mirandum, quòd ſive Collegio, ſive Domui Profeſſorum præeſſet, ſive Provinciam gubernaret, perinde aſſiduus occupabat Confeſſionale, perorabat è Cathedris, ſerviebat in Noſocomiis, exhortabatur Sodales, inſtituebat rudes, inviſebat, & morti parabat ægros, ut in proverbium venerit apud ſocios: P. Rodericum in ſe uno totum Collegium circumferre, eò; quòd ſolus omnium munia impleret. *Ex Tannero.*

## XXVI. NOVEMBRIS.

I. IN Academia Ingolſtadienſi Theologicas lectiones auſpicati ſunt annô 1549. Patres Salmeron, & Caniſius

ſius Salmeron Epiſt. D. Pauli, Caniſius Magiſtrum Sententiarum explanandum ſuſcepit. Jajus, qui unà cum illis tunc advenerat, ſed jam antè ibidem legerat, Pſalmos Davidicos poſtea eſt interpretatus. Magno cum gaudio, & honore venientes ex Italia excepti ſunt Dilingæ à Card. Auguſtano, Monachii à Duce Bavariæ, Ingolſtadii ab Epiſcopo Aiſtetenſi, & Academia tota, cujus Doctores omnes, atque Magiſtri ad eos conſalutandos in diverſorium convenerunt, atque hoſpites liberali epulo exceperunt. Nec fefellerunt iſti ſpes de ſe conceptas, in id totis conniſi viribus, ut Catholicam juventutem in fide firmarent, hæreticorum corruptelas arcerent, ac extirparent. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 9. num. 53.*

2. In Hiſpania, dum Roma deſudabat in examinando P. Molinæ libro, jam fama volitabat, confixum eſſe, & Societatis doctrinam propediem eſſe damnandam. Rumor hic cùm ad ipſum Philippum III. Regem perveniſ-

niſſet, non diſtulit literis, quas hoc die annô 1598. dedit, convenire Clementem VIII. rogando, ut pro ſua authoritate, & ſapientia pacem conciliaret inter diſſidentes Eccleſiæ utiliſſimos Ordines duos. Alias dedit literas ad Oratorem ſuum Romæ degentem, Ducem Seſſæ, quibus ei commendat, ut procuret, ex æquo bonóque judicium exerceri, ut neutra pars diſſidentium ulla in re iniquiore conditione prematur. Audiantur priùs, & tum demum causâ ſatis cognitâ, jus æqualiter adminiſtretur. Multum contuliſſe videtur hæc ſolicitudo, & authoritas Regis, ut Pontifex non ſtaret judicio Cenſorum libri Molinæ, ſed totam cauſam ad ſe transſtulerit. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 3. cap. 5.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Mutinæ in Italia annô 1629. P. Joannes Argentus, Italus. In Italia, Auſtria, Polonia, Tranſylvania, inſignia prudentiæ, zeli, conjunctionis cum DEO, & perfecti Religioſi edidit

 ex-

exempla, fuítque paſſim in ea æſtimatione, ut defuncto præpoſito Generali, Claudio Aquaviva, licet abſens, viginti novem ſuffragiis ad id muneris fuerit deſideratus. Nullus illi in agendo fucus, unica in diem refectio, pro lectulo urſina pellis, paterna erga omnes facilitas, eximia in Virginem DEIparam, & S. P. Ignatium, pietas, ut meritò creditum ſit, eos conſpectu ſuo ipſum recreâſſe.

4. Romæ annô 1572. P. Joannes Bapt. Sanchez, Hiſpanus. Vir quàm ſeverus diſciplinæ religioſæ exactor à ſe ipſo, tam impatiens erratorum alienorum. Unde cùm in Sociorum quibusdam nonnulla adverteret errata, ad ipſam Societatem ea referebat, putabátque ipſam labi in deterius. Romam igitur evocatus, & venit obedienter, licèt à morbo fractus, & meliùs de Societate ſentire didicit. P. Balthaſari Alvarez aliquando dixit: ſibi ad mortem præ dolore oppetendam ſatis fore, ſi ſciret, ſe uno adhuc integro die victurum. Ità cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

5. Ro-

Digitized by Google

5. Romæ annô 1681. P. Joannes Paulus Oliva, Italus Genuenſis, Præpoſitus Generalis Societatis JESU. Avum, & Avunculum habuit Sereniſſimos Duces illius Reip. Concionandi munus per annos plurimos tanto plauſu, & fructu ſuſtinuit: ut à 4. Summis Pontificibus, Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. & Clemente X. in Concionatorem S. Palatii Apoſtolici fuerit adlectus. Spiritum ipſius ſatis produnt Volumina edita. Onus gubernandi Societatem ob valetudinis imbecillitatem deponente P. Goſwino Nickel, ſuffectus eidem eſt à Congregatione Generali cum plena gubernandi poteſtate, & jure ſuccedendi. Gubernavit Societatem annos viginti, inſigni temperamento ſuavitatis, & diſciplinæ, ac exquiſitæ prudentiæ encomio.

## XXVII. NOVEMBRIS.

**I. IN Sicilia Panormi jacta ſunt annô 1586. fundamenta novi Collegii; quod enim annô 1549. condi-**



Digitized by Google

tum fuit, minùs commodum videbatur, & potiùs Domui Profeſſæ accomodatum. Conſignatum ergo eſt Profeſſis, novúmque unà cum Scholis inchoatum. Primo lapidi jaciendo manum admovit Prorex ipſe Siciliæ, cum ampliſſimo Senatu. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 6. num. 16.*

2. In Urbe emanavit tandem Annô 1698. Decretum Innocentii XII. quo, poſt multas altercationes inter PP. Carmelitas, & P. Danielem Pappenbrochium è Societate noſtra ferventes (de Antiquitate, & Origine Sacri Ordinis Carmelitarum ab Elia, & Eliſæo Prophetis) utrique parti ſeverum indicitur ſilentium, ut nec in libris impreſſis, nec in diſſertationibus, nec in Theſibus ſcriptis, vel impreſſis, de hac materia affirmativè, vel negativè tractetur. *Ex literis Rom.*

*Eodem die obierunt.*

3. Mexici in America, annô 1695. P. Jacobus Herrera Hiſpanus, humilitate, pietate, atque animarum zelo exi-

eximius. Tam ſcitè, ſanctéque tractabat animas, quæ ſe ejus directioni commiſerant, ut præter alios præclaros fructus, trecentæ Virgines illius inſtitutione ad cæleſtem in variis cœnobiis vitam degendam tranſierint.

4. Duaci in Belgio an. 1617. Mathias dela Saulx, Belga Coadjutor. Magna curandorum ægrorum peritia, nec minor erga eoſdem charitas in eo eluxit. Sed omnes præclaras ejus dotes vix non corrupit intempeſtivum, & pertinax deſiderium Sacerdotii. Jam enim poſtridie dimittendus erat è Societate: cùm noctu per quietem, videre ſibi viſus eſt S. P. Ignatium, ad pedes lectuli conſiſtentem, & formidabili manu exitium ſibi comminantem, ſi non perſiſteret in Societate. Tum ille in uberes lacrymas effuſus, manè ſinè mora ad ſuperiorem advolavit, & damnato errore ſuo, poteſtatem in Societate manendi efflictim petiit, impetravítque, in qua deinceps ità vixit, ut omnibus charus, pretioſam meruerit mortem in obſequio peſtiferorum.



Digitized by Google

5. Hiſpali in Hiſpania, annô 1611. P. Petrus Fontanus, Hiſpanus. A teneris Divinæ Euchariſtiæ, ac DEI-paræ V. cultui addictiſſimus, ut illis placeret magis, non caſtam ſolùm, ſed nitidiſſimam ſervare conſcientiam ſtudebat. Nè verò per humanam fragilitatem nævi aliquid ſubindè contraheret, mortem potiùs impensè optabat. Ad quam celeriùs obtinendam Novemdiale Sacrum Beatiſſimæ V. inſtituit; cùm autem putaret, ſe nihil impetrâſſe, voluntati divinæ ſe plenè permiſit. At propior, quàm putârat, mors aderat, hominémque, quò deſideraverat, abripuit intra paucos dies.

## XXVIII. NOVEMBRIS.

I. IN Germania annô 1590. diſputatum feliciter cum hæreticis. Marchio Badenſis Acatholicus medico utebatur domeſtico, Joanne Piſtorio, qui inita cum Patribus Collegii Spirenſis familiaritate, converſus tandem eſt ad Fidem, & Religionem Catholicam. Is miſto ſæpiùs cum Marchione præfato

de

Digitized by Google

de Religione colloquio, paulatim ſuſpectam ei fecit ſectam Lutheranam. Marchio, vir prudens, ſaluti ſuæ conſulturus, ut certi aliquid circa Fidei Controverſias aſſequeretur, optavit, colloquium alicujus miniſtri in ſecta ſua celebrioris, cum ſuo Piſtorio, ſcripſitque ea de re ad ducem Wirtenbergenſem. Dux ſuaſit Jacobo Andreæ Smigdelino, eo tempore inter Lutheranos rabulas famoſo, ut præclaram ſuſciperet occaſionem, de ſua religione merendi. At ille, ùt tumidum eſt hoc hominum genus, prætendit: indecorum eſſe ſibi, homini Theologo, diſceptare cum medico de Religione; adeſſet ſibi par Theologus Catholicus, non recuſaturum ſe congreſſum. Accepta facilè conditio, rogatúſque adfuit ſinè mora P. Theodorus Buſæus, Collegii Molshemienſis in Alſatia Rector, vir apprimè doctus. Locus certamini deſignatus urbs Bada, ſeu Badena: eò ſe miniſter magna ſtipatus ſimmiſtarum manu contulit, ſub finem Novembris. Certatum eventu

 non

non dubio, ùt patuit ex converſione Concionatoris aulici, qui victus Catholicorum argumentis, Eccleſiæ acceſſit. Marchio quoque in conſcientia convictus erat, nè tamen Religionis mutationem leviter ſuſcepiſſe videretur, aliud colloquium indicendum putavit, ad quod invitavit Doctorem Ægidium Hunnium. Sed is Smigdelini clade territus, recuſavit. Suſcepit tamen eam ſpartam Joannes Pappus Doctor Argentinenſis, comparuítque cum octodecim Badenſis Provinciæ miniſtris, ante omnia profeſſus, ſe nec cum Piſtorio, nec cum Jeſuita verbum facere velle, ſed cum ſolo Concionatore aulico, nuper, ùt ajebat, ſeducto. Verùm nec ex iſto conflictu palmam tulit hæreſis. Concionator ille, DEO opitulante, tam ſtrennè rem egit contra Pappum, ut Marchio planè convictus, dicere ſolitus ſit: præcipuam ſuæ converſionis cauſam fuiſſe Pappum, miſere profligatum. Accito igitur P. Theodoro, Lutheri errores execratus eſt, primus è Princi-

pibus

pibus Imperii converſis, 15. die Julii palàm Fidei Catholicæ fecit profeſſionem, prædicantes è tota ditione ſua proſcripſit, fana occluſit, nihil metuens terrores, & arma principum vicinorum. Aliis igitur artibus impetitus eſt, & porrectis venenatis ceraſis ſublatus, zeloſiſſimus Princeps, è cujus linea deſcendentes Marchiones, etiamnum Catholici perſeverant. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 10. num. 104. &c.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Tornaci in Belgio annô 1614, P. Oliverius Manaræus, Belga. Ab ipſo S. P. Ignatio hauſit primitias Spiritûs Societatis, quas continuis, magníſque incrementis auxit. Romanum Collegium primùm, deinde Lauretanum rexit, ubi cùm cubiculum quoddam lemures infeſtarent lectâ S. Ignatii Epiſtolâ importunos hoſpites exegit. Ibidem non ſemel prodigioſam DEIparæ V. opem expertus eſt, tum in annona, tum in pecunia ſuppeditanda. Etiam cùm ſumma quæque in Socie-

tate

Digitized by Google

tate munia gereret, nullum, vel Novitium, diu coram ſe aperto capite ſtare paſſus eſt; quàm humilis, tam charus omnibus.

3. Nangaſachi in Japonia, annô 1629. Leonardus Kimura, nobilis Japon, Coadjutor. Quamvìs literis ſatìs tinctus eſſet, maluit tamen Coadjutorum claſſi adſcribi. Proſcriptis è Japonia Sociis, perſtitit conſtans, latuítque aliquantiſper in ſolatium, & opem Chriſtianorum. Comprehenſus, conjectus eſt in anguſtum carcerem, cujus ærumnas integro anno fortiter, & lætus toleravit, diſtributíſque in morem Collegii pietatis exercitiis, carcerem in domum religioſam, imò in Eccleſiam convertit, converſis in illo baptizatíſque octoginta ſex capitibus. Interrogatus à Judice, cur contra decretum Imperatoris perſtitiſſet in Japonia? Reſpondit: *ut Chriſti Evangelium prædicarem.* Tum Judex bis repetita voce ſententiam dixit: *Ergo igne abſumendus es.* Amplas egit gratias Leonardus alligatus ſtipiti, ſinè ullo doloris

loris ſigno ſtetit magnanimus, ubi verò ignis vehementiâ combuſta ſunt vincula; libera utraque manu ardentes prunas collegit, & illis caput, velut roſis, coronans, exultabundus cecinit, *Laudate Dominum omnes gentes &c.* & invinctum ſpiritum DEO tradidit.

4. Brugis in Belgio annô 1621. P. Joannes Maus, Belga. Cùm peſtifera lues civitatem acerbè affligeret, Epiſcopus, & Magiſtratus opem ab illo, ùt Rectore Collegii imploraverat. Non eſt paſſus P. Joannes alteri glorioſam hanc cedere palmam; ſe ipſum obtulit, & multis, magníſque meritis mortem pretioſam ſibi comparavit.

## XXIX. NOVEMBRIS.

I. IN Congregatione, & diſputatione XXXIV. de Auxiliis Gratiæ, habita annô 1604. coram Clemente VIII. demonſtravit P. Ferdinandus Baſtida: Scientiam futurorum contingentium, quam diſputatione præcedente probaverat, dari in DEO, eſſe omnino certam, & infallibilem, & non

non conjecturalem tantùm, ſeu probabilem. Talis enim maximè dedecet intellectum infinitè perfectum, cui nuda, & aperta ſunt omnia. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 5. cap. 45.*

2. Annô 1572. poſt beatum Pii V. obitum, ſucceſſit auſpicatiſſimè in Eccleſiæ univerſalis regimen Gregorius XIII; ſed continuò rumor in Aquilonares Provincias emanavit, creatum eſſe Pontificem alieniſſimum ab Jeſuitico nomine, & jam illos ex urbe expuliſſe. At planè oppoſitum evenit, ſtatim enim ab initio ſui regiminis perbenignum ſe Societati exhibuit, crevítque deinceps continuò beneficentia uſque eò, ut vix ultrà poſſet. Primum beneficentiæ ſpecimen edidit, quando ſub extremum Novembrem, re communicata cum præcipuis Cardinalium, diligentérque diſcuſſa, permiſit, ut Societas priſtinis juribus ſuis ac Privilegiis à Sede Apoſtolica conceſſis, libere ac integre frui poſſet, adeóque ſuſtulit Chorum recenter inductum à Pio V. ſolemnem Profeſſionem,

nem, quam idem emitti voluit ſtatim cum ſuſcepto Sacerdotio, reduxit ad terminos in Inſtituto Societatis deſignatos. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 8. num. 12. & ſeqq.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Valliſoleti in Hiſpania an. 1611. P. Antonius de Padilla, Hiſpanus. Grandibus procerum titulis, & fortunis ſe exuit, ut pauperem Chriſtum in ejus Societate indueret. Humilitas illi pro primo Spiritualis vitæ lacte, & omnium adverſorum condimento erat. In tirocinio juſſit illum aliquando P. Balthaſar Alvarez, ejus Magiſter, à menſa ſurgere, & ante portam domûs cum mendicis manducare. Fecit alacriter, diebúsque Sabbathi exibat cum emptore, & emptas carnes humeris domum deportabat. Pro pulpito audiebatur fecundiſſimis auribus, dicebátque de illo Rex Philippus II. *Satis eſſe ad permovendam concionem, videre in pulpito P. Antonium, tantâ mundi diſpicientiâ glorioſum.* Cùm ei Burgenſis Archie-

chiepiſcopatus offerretur, dixit: *Sibi pro morte lectulum unicum, eúmque rudem, ac vetuſtum ſufficere.* Quamvis vitam ſeveriſſima virtute tranſegiſſet, in morte tamen immimentis judicii intuitu viſus eſt trepidare. Sed acceptô divinô Viaticô ſe ipſum animans. *Quid timere*, ajebat, *debeo, Domine mi, cùm mihi dixeris, quòd me clauſum in tuo corde geſtes? Cùm ità ſit, eamus, quò vis, non eſt, quod pertimeſcam.* Et obiit placidè horâ, quam prædixerat.

4. Miliſtadii in Germania an. 1633. P. Petrus Ximenez, Hiſpanus, magnum in Annalibus Auſtriæ nomen. Græcii, & Olomucii multa fortiter, atque utiliter egit contra hæreticos, qui ibi dominabantur, vidítque dulces laborum ſuorum fructus. In cauſa DEI, & Religionis nullis movebatur reſpectibus humanis. Unde Viennæ quosdam, qui cum fœminis nutibus colloquebantur, prehenſa manu è templo eduxit, dicens: Locum illum DEO ſacrum eſſe, nec polluendum his ſordibus. Oratio illi prolixa, quæ illum aliquando à

ſen-

ſenſuum officio abſtrahebat. Poſt Sacrum ſumma attentione peractum, duobus aliis intererat, ut ſuaviſſimo hoſpite ſuo familiariùs frueretur.

5. Romæ annô 1694. P. Paulus Segneri, Italus, Miſſionarius per Italiam, & Concionator planè Apoſtolicus. Cùm circa annum 1663. ad ſacram Exercitiorum ſpiritualium ſolitudinem Perusii ſe recepiſſet, audivit DEUM in corde ſibi loquentem: *Volo, ut amemus invicem.* Fuiſſe hanc DEI vocem, mox probavit eventus. Ab eo enim momento mutatus in virum alterum, qui ſemper probus Religioſus fuerat, maximis paſſibus ad culmen perfectionis evaſit, paſſim pro Sancto habitus, & proclamatus; à ſummo etiam Pontifice expetitus pro concionibus in aula habendis, quibus omnis conditionis hominibus, non aures mulcebat; ſed loquebatur ad cor, in virtute DEI. *Ex Epiſtola P. Pinamontii ejus Socii in Miſſionibus.*

XXX.

# XXX. NOVEMBRIS.

I. ANnô 1554. erectum eſt Collegium Lauretanum Pœnitentiariorum à Julio III. Pont. Max. datúſque illi eſt primus Rector P. Oliverius Manaræus. Expedivit illuc S. Ignatius Socios 14. in fine Novembris, juſſu Pontificis, qui cum propter confluxum populi ſufficientes non eſſent, aucti ſunt poſtea uſque ad viginti. Quàm gratus ibi fuerit DEO Sociorum adventus, & labor, declaravit inſigni oſtento. Dum enim quidam è Patribus concionem dicit ad Canonicos, & populum, alii verò in exedris conſtitutis dant aures, & operam pœnitentibus: viſus eſt multis cæleſtis quidam ſplendor è faſtigio templi labi ſupra Sanctam DEI-paræ Domum, templo incluſam, ubi cùm aliquamdiu conſediſſet, digreſſus eſt ad Pœnitentiariorum tribunalia, ſupérque capita ipſorum, & confitentium ferebatur tempore notabili. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 14. num. 23. &c.*

2. E-

2. Etiam per Angelos declaravit DEUS annô 1650. hoc die: quàm acceptus ei ſit labor Societatis, ſpecialiter Miſſionariorum. Perpiniani, in Comitatu Rouſſilionenſi, nunc Gallis ſubjecto, cùm præter bella fames, & peſtis affligeret populum, inſtituta eſt Miſſio Societatis pro excitanda populi devotione majore, & placandam Divinam Majeſtatem. Recitabantur Litaniæ Marianæ in regali Parochia, frequenti populo præſente, cùm ecce religioſior quidæm è Miſſionariis noſtris videt DEI-param V. aræ majori inſidentem, ingenti ſplendore circumfuſam, cujus latera ſtipabant SS. Ignatius, &.Xaverius; Angelorum autem Chorum numeroſiſſimum, & ſuaviſſimum audivit occinentem: "Gaude "atque exulta, Auguſta cœli, Angelo-"rúmque Regina. Gaude, & tu Ig-"nati, gaude Xaveri. O te Beatum "Ignati, qui eos nactus es filios, qui "tot animas à peccati vinculis, infamí-"que ſervitute eripiunt, & laboribus "ſuis verè Apoſtolicis, cælum implent

"tot

Digitized by Google

"tot tantiſque animarum manipulis. "Quæ porrò felicitas, quæ beatitas, "ex illa eſſe Societate, quæ adeò con-"ſtanter, & operosè hominum ſaluti "ac perfectioni incumbit? O generoſi "Societatis Miſſionarii ite læti, ite ala-"cres -- Vobis inprimis amici ſumus, "ut vos adversùs hoſtes tueamur, & "omnia à capitibus veſtris mala pro-"pulſemus. O glorioſe Ignati gaude, "qui filios habes, quibus vel maximè "favet cæleſtis Pater, quos amplectitur "DEUS Filius, quos impenſiùs amat "Spiritus S. & potentiſſima Regina no-"ſtra. Et tu gaude ô glorioſe noſter "Seraphim Xaveri: qui ad divina illa "animarum lucra, & dux fuiſti, & lu-"men ipſe prætuliſti. Tibi debetur "illa laus, illa gloria, qui aliis ad ſa-"cras illas expeditiones exemplo illu-"ſtriore præfulſiſti. Gaude magne Se-"raphim Xaveri! MARIÆ verò glo-"ria! quæ ad pios illos auſus animos "fecit, & conſilia ſaniora ſuggeſſit. "Gloria MARIÆ, gloria Ignatio glo-

"ria

"ria Xaverio! Gloria, gloria, gloria in "æternum! Hæc cæleſtes genii, quorum aſpectu, cantúque per mediam circiter horam recreatus eſt Miſſionarius ille. *Ità refert Jacobus Lobetius Tom. 1. Quæſt. in Domin. & Feſta, quæſt. 4. in Domin. 3. poſt Pentec. ſuper illa verba:* Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore &c. *Gomez in Elog. Soc. p. 3. claſſe 3. num. 8.*

3. Gerundæ in Aragonia an. 1658. inſigni miraculo ſanitatem ſubitò reſtituit moribundo Venerabilis P. Franciſcus Suarez. Jacebat in Seminario deſperata jam valetudine Magiſter è noſtris, quem cùm quidam è Patribus ſupremis Sacramentis procurâſſet, magna noctis parte apud ægrum tranſacta, exiſtimans ſupervicturum craſtinum, recepit ſe in Collegium. Senſit autem vehementem inſtinctum, ut aliquid de reliquiis Ven. P. Franciſci deferret ad ægrum, ac per ipſum à DEO poſceret ſanitatem moribundo, ad augendum Doctoris noſtri æſtimationem,

&

& honorem. Manè ſumpto reliquiarum loco, à charta reſciſſo chirographo, manu P. Franciſci exarato, redit ad ægrum, ſchedámque illi magna cum fiducia imponit. Nec mora, exclamat protinus æger: Revixi! P. Suarius me inviſit, ſanitatémque reddidit! Videbatur nonnenimi aberrâſſe à mente: ſed ille idem ingeminans, paulò pòſt è ſtrato ſe proripuit, totus in ſoſpitatoris ſui laudes effuſus. *Maffejus in Vita P. Suar. cap. 24.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Compluti in Hiſpania an. 1597. P. Milan. ſeu Æmilianus Garcia, Hiſpanus, Concionator ardens, operarius indefeſſus, & multis peccatorum converſionibus felix. Inter dicendum viſus eſt non ſemel tota facie collucere, aliàs in feſtis Pentecoſtes conſpecta eſt Columba imminens capiti perorantis. Moriens impensè rogavit, & obteſtatus eſt Patres circumſtantes, ut cum

cum S. Paulo non aliud, quàm JEſum prædicarent.

5. Oſnaburgi in Germania annô 1630. P. Joannes Teinzerus, Germanus. Multos ad fidem Catholicam, non paucos ad vitam religioſam adduxit, ſua illa de divinis loquendi eximia facultate. Oſnaburgenſis domicilii Procurator, & ſubinde Superior, ut difficillimis temporibus ex magnis anguſtiis, in quas ab hæreticis conjecti erant, expediret noſtros, author fuit: ut poſt meridiem Litaniæ Lauretanæ de B. V. dicerentur (qui mos etiam deinde perſtitit) præſentiſſimámque DEI-paræ opem ſunt experti.

6. Polociæ in Litvania annô 1650. P. Adamus Ciecierski, Polonus. Ad pietatem, & pias lacrimas apprimè promptus, ad expediendas è vitiorum cæno animas dexter fuit, infeſtum ſibi propterea dæmonem paſſus, ſed facilè debellatum. Paralyſi tactus, putabatur non procul abeſſe ab hora extrema; Sed B. Joſaphat Martyr, & Archiepiſcopus Polocenſis, ei ſpectandum



Digitized by Google

ſe exhibens, adhuc triennium vitæ promiſit; quo elabente, piè deceſſit, oculis plerumq; intentis in eam lectuli partem, ubi olim conſpexerat B. Martyrem, fortè tunc etiam præſentem.

## I. DECEMBRIS.

P. Chriſtophorus Rodericius à Pio IV. Pontifice, cum authoritate Nuncii Apoſtolici miſſus in Ægyptum annô 1561. ut Patriarcham Cophtorum, cum gente ipſi ſubdita, reduceret ad Eccleſiam, prout in animo ſibi eſſe ſignificârat, hoc die Patriarcham convenit Cairi, quæ veterum Memphis fuiſſe dicitur. Traditis illi literis Pontificis, paucis expoſuit, quanta charitate ac ſtudio Pontifex optet Unionem Eccleſiæ Cophtorum cum Romana, ideóque ſe miſſum eſſe, ut hoc in negotio, quantam poſſet, præſtaret operam. Reſpondit Patriarcha Gabriel: Gratiam ſe habere Pontifici, quòd ut verus Paſtor, & Pater omnium, curam Cophtorum ſuſceperit, atque ad ſe potiſſimùm Nuncium ſuum de-

deſtinârit ; quamvis non pauci alii Epiſcopi ejuſdem ſecum eſſent mentis, de Unione cum Eccleſia Romana. Se quidem diligenter adlaboraturum, & Nuncii operâ plurimùm ŭſurum. Hæc tunc. Paucis pòſt diebus conveniunt apud Venetum Conſulem Patriarcha, & Rodericius, ubi iſte alteras tradit illi literas Pontificis, quibus poſtulabat, Epiſcopum aliquem mitteret ad Concilium Tridenti congregatum. Adjunxit Rodericius ex voluntate Pontificis: ut Patriarcha juvenes aliquot Cophtos mitteret Romam, qui ibi Chriſtiana, Catholicáque addiſcerent dogmata, ac tandem ad ſuos deferrent; denique Pontificia obtulit munera: pretioſum, ſplendidúmq; apparatum ſacrum. Perlibenter ea ſuſcepit Patriarcha; de concilio reſpondit, miſſurum ſe Epiſcopum anno ſequente; de juvenibus deliberaturum, nè fortè Turcis res innoteſceret. Tam proſpera initia utinam ſimilis coronâſſet exitus. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 5. n. 142.*



Digitized by Google

2. Apud Sinas Imperator ceteris beneficiis ſuis inſigne adjecit auctarium, hoc die annô 1691. ultro noſtris offerendo erectionem novæ Eccleſiæ, ac domûs ſuis ſumptibus, extra Urbem Pekinenſem, prope Villam ſuam, ubi magna anni parte commorari ſolet cum magnatibus ſuis, qui ibi ſua habent palatia. Locum deſignavit ipſe medium inter ædes duorum primariorum miniſtrorum ſuorum, noſtris, & rei Chriſtianæ addictiſſimorum. *Ex literis P. Antonii Thomæ datis ad P. Thyrſum Gonzalez Gen. Præp. annô 1691.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Londini in Anglia annô 1581. P. Edmundus Campianus, Anglus, inclyti Martyris elogiô paſſim honoratus. Romæ ſublimioribus diſciplinis inſtructus, juſſu Gregorii XIII. Pont. Max. in Angliam rediit. Ibi, mirum dictu, quot hæreticos brevi tempore converterit, quot Catholicos in fide confirmârit, quot fortes in aciem, pugnámque eduxerit pro fide athletas, præſer-

tim

Digitized by Google

tim edito in lucem exiguo libello continente Rationes decem pro fide Catholica, quas nemo prudens legit, qui non probârit. Comprehenſus, & crudeliter tortus, poſt tormenta productus eſt ad diſputationem publicam cum principibus ſectariorum; ubi primùm ejus modeſtia, & fracta tormentis valetudo ſannis excepta eſt, ſed vis infracta argumentandi plauſum, & victoriam tulit non dubiam. Patibulo tamen addictus, more ſolito excarnificatus eſt, ſtupente vaſto flumine Tameſi, Londinum præterfluente, quod eo tempore undis ſtetit immotis.

4. Ibidem eodem die coronatus eſt P. Alexander Briantus, Anglus, vir oris Angelici, ſpiritûs Apoſtolici. In carcere dira fame, & ſiti, & poſtea equuleo ſæpe cruciatus eſt. Cùm crucem geſtans ad tribunal prodiret, juſſus eſt illam abjicere. Sed ille, *Nolo*, inquiebat, *nolo uſque ad mortem vexillum meum Crucifixi miles deſerere. Ibo, ut moriar pro illo, qui pro me mortuus eſt prior.* Suſpenſus igitur, & excarnificatus eſt, ùt Campianus.

 5.

Digitized by Google

2. Apud Sinas Imperator ceteris beneficiis ſuis inſigne adjecit auctarium, hoc die annô 1691. ultro noſtris offerendo erectionem novæ Eccleſiæ, ac domûs ſuis ſumptibus, extra Urbem Pekinenſem, prope Villam ſuam, ubi magna anni parte commorari ſolet cum magnatibus ſuis, qui ibi ſua habent palatia. Locum deſignavit ipſe medium inter ædes duorum primariorum miniſtrorum ſuorum, noſtris, & rei Chriſtianæ addictiſſimorum. *Ex literis P. Antonii Thomæ datis ad P. Thyrſum Gonzalez Gen. Præp. annô 1691.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Londini in Anglia annô 1581. P. Edmundus Campianus, Anglus, inclyti Martyris elogiô paſſim honoratus. Romæ ſublimioribus diſciplinis inſtructus, juſſu Gregorii XIII. Pont. Max. in Angliam rediit. Ibi, mirum dictu, quot hæreticos brevi tempore converterit, quot Catholicos in fide confirmârit, quot fortes in aciem, pugnámque eduxerit pro fide athletas, præſertim

Digitized by Google

tim edito in lucem exiguo libello continente Rationes decem pro fide Catholica, quas nemo prudens legit, qui non probârit. Comprehenſus, & crudeliter tortus, poſt tormenta productus eſt ad diſputationem publicam cum principibus ſectariorum; ubi primùm ejus modeſtia, & fracta tormentis valetudo ſannis excepta eſt, ſed vis infracta argumentandi plauſum, & victoriam tulit non dubiam. Patibulo tamen addictus, more ſolito excarnificatus eſt, ſtupente vaſto flumine Tameſi, Londinum præterfluente, quod eo tempore undis ſtetit immotis.

4. Ibidem eodem die coronatus eſt P. Alexander Briantus, Anglus, vir oris Angelici, ſpiritûs Apoſtolici. In carcere dira fame, & ſiti, & poſtea equuleo ſæpe cruciatus eſt. Cùm crucem geſtans ad tribunal prodiret, juſſus eſt illam abjicere. Sed ille, *Nolo*, inquiebat, *nolo uſque ad mortem vexillum meum Crucifixi miles deſerere. Jbo, ut moriar pro illo, qui pro me mortuus eſt prior.* Suſpenſus igitur, & excarnificatus eſt, ut Campianus,

5. Methymnæ in Hiſpania annô 1633. P. Ferdinandus de Caſtro Palao, Hiſpanus. Pueritiam egit tam innocenter, ut vulgò audiret *Puer Prædeſtinatus*. In Tyrocinio Societatis *Angeli*, & *Sancti* titulum eſt aſſecutus, quem vita omni religioſiſſima firmavit, & ornavit profundiſſima humilitate, rigida paupertate, & indefeſſo Religioſæ perfectionis, atque literarum ſtudio. Poſt Theologiæ Scholaſticæ curriculum magnâ eruditionis famâ exactum, totum ſe dedit Theologiæ Morali; quam ſeptem doctiſſimis Tomis in folio illuſtravit, auditus Compoſtellæ ab auditorio tam frequenti, ut nec antè nec pòſt ſimile ſit viſum. *Sotuel. in bibl. Soc.*

## II. DECEMBRIS.

1. PP. Salmeron, & Ribadeneira Bruxellas in Belgio pervenerunt, annô 1557. laboranti Societati ſubſidio futuri. Multum enim negotii faceſſebat Sociis Decretum Pariſiis editum contra Societatem, ſub nomine

mine Academiæ illius, quamvis re vera paucorum fuerit, erátque id Decretum unica cauſa, quare Lovanium non admitteret Collegium. Dicebant enim: ſi falſum, iniquum, & famoſum eſt id Decretum, cur Pontifex illud non damnat? Sed Patres, nè univerſam concitarent Academiam, malebant illud concidere ſinè ſtrepitu impulſu temporis, quàm ſupremæ authoritatis; nec defuit DEUS Societati tempore opportuno. *Sacchini hiſt. Soc. p. 2. lib. 1. n. 109.*

2. Romæ, cùm annô 1559. Cardinales in Vaticano conclavi convenire non poſſent in eligendo Pontifice, poſt obitum Pauli IV. Otho Truchſeſius Cardinalis Auguſtanus P. Lainium, Præpoſitum Societatis Generalem, ad ſe per libellum evocavit poſtridie Calend. Decembres, tanquam de re maximi momenti cum ipſo tractaturus. Ut conſpectus eſt in conclavi Laynez, Cardinales aliquot, quibus viri virtus & ſapientia perſpectiſſima erat, illico ſu-

ſuſpexerunt eum, tanquam divinitus miſſum, cœperúntque agere de ipſo in Petri ſede collocando. At verò ubi vir humillimus, quanta res ageretur, intellexit, inhorruit, raptímque ſe oculis illorum ſubduxit, tanquam de ſe indignis modis accipiendo agi ſenſiſſet. Non tamen hæc fuga Cardinalium conſilia repente diſcuſſit, ſed à duodecim è graviſſimis jam ad ſummum honorem illi deferendum conſenſerant, non facilè deſtituri, niſi Pontificiæ ſanctiones, & inveterata exempla non aliunde, quàm è Sacro Collegio Pontificem aſſumi poſtulâſſent. Hæc, & apud multos Romæ vulgata ſunt, & Otho ipſe Cardinalis Auguſtanus poſt Lainii obitum pro concione in exequiis, quas ei magnificas Dilingæ fecit, publicè prædicavit. *Sacchinus hiſt. Soc. p. 2. lib. 3. num.* 47.

3. Annô 1552. in Hiſpania in caſtro Xaverio conſpecta eſt imago Chriſti Crucifixi ſanguineo ſudore manare; & poſtea nunciatum, eodem

die

die Xaverium in India obiiſſe. *Nadaſi in indice Memor.*

## *Eodem die obierunt.*

4. In Sanciano, inſula Chinenſi, an. 1552. S. Franciſcus Xaverius, Magnus Indiarum Apoſtolus, & Thaumaturgus perpetuus Magnam animam hoc die reddidit Creatori in terra deſerta, ab omnibus deſertus, inter dulces Crucifixi amplexus, poſt decennes in India Orientali labores, & plura quàm duodecies centena millia Ethnicorum baptiſmô luſtrata. Feſtum tamen ejus 3. Decembris celebrari mandavit Alexander VII. Pont. Max. Miraculorum multitudo, & magnitudo Thaumaturgi titulum illi aſſeruerunt. Potami, in oppido Calabriæ, numerantur ducenta, & 42. patrata intrà triennium. Unde à pluribus per orbem urbibus, provinciis, & regnis in ſpecialem Patronum, & Protectorem ſolemniter eſt lectus: ùt à regno Navarræ, urbe Neapolitana, Bononia, Parma, Placentia,

Maſſa, Aquila, Tergeſto, Goritia, Epiſcopatu Varmienſi &c. In Indiis ab urbe Goa, Macao, Mexico, Manaria &c. Navigationum quoque per mare Pacificum, & bellorum in regno Chilenſi cooptatus eſt Tutelaris. Hinc in ejus honorem non pauca condita templa, & ſacella: ut Romæ, Neapoli, Panormi, Meſſanæ, Genuæ, Bononiæ, Tridenti, Arimini, Trenchinii in Hungaria, Spitalii in Carinthia, Brugis in Flandria, Pariſiis in Gallia, Lugduni, Ebreduni, Madriti in Hiſpania &c. &c. ut in omnibus glorificetur DEus, magnus, & glorioſus in Servo ſuo Franciſco Xaverio.

5. Briſaci in Alſatia annô 1635. P. Godefridus Feller, Belga, prodigus vitæ, obſequiis peſte ictorum devotæ, heroum morte deceſſit, cum novem aliis Sociis in Germaniæ locis variis. Annô autem 1638. Pragæ P. Georgius Aquitanus, Sileſius cum Sociis 4. ſimili morte concluſit vitam admodum religioſam, Xaverianæ virtutis æmulam. Bis peſti graſſanti ſeſe objecit; & cùm ſupo-

ſuperior ex moribundo quæſiſſet? An paratus eſſet, pro DEO Conditore ſuo vitam profundere? mira vultûs hilaritate, & verborum emphaſi reſpondit: *Ego verò unam hanc vitam DEO? O ſi millies millionum ſuppeterent; univerſas ſicut unam profunderem!*

## III. DECEMBRIS.

1. FEſtivitatem glorioſi obitûs Magni Indiarum Apoſtoli, S. Franciſci Xaverii, quæ in heſternum incidit diem, tranſtulit Alexander VII. in tertium Decembris, unà cum Indulgentia plenaria, quàm Gregorius XV. conceſſerat pro die præcedente. Officium ad ritum duplicem per univerſam Eccleſiam evexit Clemens X. Eandem feſtivitatem hoc die inſigni, & evidenti miraculo illuſtravit DEUS annô 1704. Romæ, quando ingenti, & evidenti prodigio per prædictum Sanctum plena ſanitate repente donavit Sanctimonialem, dictam Angelam Mariam à SS. Trinitate, filiam Comitum de Silva, profeſſam monaſterii S. MA-

RIÆ de doloribus. Hæc à menſe Julio ad Decembrem graviſſimis torquebatur capitis, oculorum, & pectoris doloribus, ex febri calida (quâ non rarò mente movebatur) hydrope, & aſthmate ortis; cúmque Sorores ejuſdem Monaſterii pridie feſti S. Xaverii urgerent medicum, D. Emmanuelem Lopez, omnem artem, & medicinam adhiberet ad curandam ægram; reſpondit is: Ad eam curandam non medicô ordinariô, ſed Apoſtolô opus eſſe. Apprehendit eam vocem ægra, & quia ſciebat imminere feſtivitatem Magni Orientis Apoſtoli, ad illum, mentem, & omnem poſt DEUM fiduciam convertit, perſuaſúmque habebat, ſe illico ſanam futuram, ſi aliquæ Sancti Reliquiæ ſibi admoverentur. Quàm primùm ergo ſequenti die eas pectori inter oſcula, & ſuſpiria appreſſit, ſenſit ſe ſanitate donatam, ſurrexit, ipſa ſe veſtivit, & cum ſororibus ad templum conceſſit, hymnúmque Euchariſticùm decantavit. Miraculum hoc mox ab ejus ſuperiore, Confeſſario,

rio, & Medico rire firmatum eſt juramentô. *Ex lit. Rom.*

2. Tridenti cum ſacra ſynodus Seſſione 25. hoc die cœpta, varia de Regularibus cap. 16. ſanxiſſet, ſubjunxit ibidem: *Per hæc tamen S. ſynodus non intendit aliquid innovare, aut prohibere: quin Religio Clericorum Societatis JEſu, juxta pium eorum Inſtitutum, à S. Sede Apoſt. approbatum, domino, & ejus Eccleſiæ inſervire poſſit.* Quæ ſententia ſanctæ ſynodi plurimùm æſtimanda.

3. Romæ annô 1572. malevoli quidam Gregorii XIII. non pridem electi Pontificis aures aſſiduè onerabant, quòd in Jeſuitas prodigalitate quadam congererentur Eccleſiarum, Monaſteriorum, Abbatiarum, & variorum Sacerdotiorum bona, præſertim in Germania. Polancus igitur Vicarius Generalis, accuratum hujuſmodi beneficiorum Societati collatorum catalogum cùm obtuliſſet Pontifici hoc die, & ipſe per otium conſideràſſet: dolere ſe dixit, quòd eſſent perpauca; optare: ut eſſent longè plura, & majora, pro alendis

lendis tam ſtrenuis in vinea Domini operariis, præſtititque re ipſa, quod optaverat. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 8. num. 20.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Mindanai, in inſula una Philippinarum, annô 1634. P. Joannes del Carpio, Hiſpanus, ſtrenuus apud Indos pictos operarius. Cùm inſulæ illius regulus æger, impiè voviſſet, ſe, ſi convaleſceret, omnium, quos nanciſci poſſet, Chriſtum prædicantium Patrum capita Mahometo ſacrificaturum, primus comprehenſus eſt P. Joannes, & acinace altè impreſſo cæſus, cùm ſe DEO, poſitis humi genibus, victimam dedicaret.

5. Londini in Anglia, 1641. P. Joannes Percey, Anglus, ſtrenuus animarum zelator, inter graviſſima pericula, & ærumnas. Carceribus Londinenſibus quadriennio, & ampliùs maceratus, variis tormentis cruciatus, cùm exilium ei offerretur cum conditione non redeundi in Angliam: rejecit hanc,

ma-

Digitized by Google

maluítque redire in carcerem. Inter alia tormenta, caput illi fune circumjecto, & fortiter contorto tam validè conſtrictum eſt, ut cranium ferè diſſiliret. Sed ille ex hoc tormento, præter ingens meritum, id commodi tulit, quòd aurium tinnitum, & gravem capitis dolorem, quo pridem laboravit, indè amiſerit. *Ex Tannero.*

6. Senis in Italia annô 1608. initiô Decembris, P. Franciſcus de Benavides, Hiſpanus. Quantis forìs affluebat opibus, utpote filius Comitis S. Stephani; tanto paupertatis tenebatur amore in Societate, ùt ferè ſolent ii, qui magis nobiles, ac divites Religionem ingrediuntur. Corpus morbis ſatìs fractum, voluntariis inſuper cruciatibus ità atterebat: ut P. Hieronymus de Florentia diceret: ſe neque corpus pejus, neque meliorem animam unquam noviſſe, quàm in P. Benavides.

7. Bononiæ in Italia annô 1644. P. Georgius Juſtinianus, natione Græcus, patria Chius, & ſtemmate principum illius inſulæ dominorum, vir magna in-

induſtria, & zelo ad animas juvandas inſtructus. Cùm Romæ humaniores doceret literas, ità diſcipulos virtutis amore inflammavit: ut ampliùs ſexaginta ad religioſas domos convolârint. Admirabili concionandi facultate præditus, in inſula Chio, & Byzantii Chriſtianam pietatem multùm promovit. Bononiæ per annos 40. ità zelum ſuum explicuit, ut Apoſtoli Bononienſium nomen meruerit. Tredecim Sodalitates diverſas ibi inſtituit, fovit, & provexit; quæ defuncto magnificum cenotaphum erexerunt: *Sotvell. in bibl. Soc.*

## IV. DECEMBRIS.

I. GLorioſiſſimam in India victoriam reportavit Luſitana claſſis exigua, ſeptem duntaxat navium, de numeroſiſſima claſſe Acenorum, & fœderatorum gentilium, vaticinio, & ope S. Xaverii, quam non ſolùm multò antè prædixit, verùm, & çùm claſſes concurrerent, repræſentavit. A menſe uno, & dimidio nihil habebat

civi-

civitas Malacenſis de expeditæ claſſis ſuæ fortuna, aut infortunio, ideóque conſternata ſiniſtri aliquid ominabatur, cùm Xaverius hoc die, qui Dominicus erat, conſcensâ cathedrâ, ut concionem diceret, non longè provectus ſermone, hæret, vultum varium induit, nunc trepidantis, nunc exultantis, nunc lugentis, oculis in Chriſti Crucifixi effigiem defixis. Tum velut à ſenſibus abalienatus fari aliquid, ſed fractis, & non intelligibilibus vocibus. Tenuit id ſpectaculum non modico tempore attonitum auditorem, præſertim ipſum, qui aderat, urbis Præfectum, Mellum, facilèque intelligebant, objectam illi eſſe divinitus ſpeciem conflictûs alicujus. Tandem erectus, nam caput velut laſſum in oram cathedræ reclinaverat, atque vultu Angelum ſpirans, recitemus inquit, fratres, ſemel Orationem Dominicam, & Virginis ſalutationem, ad agendas DEO gratias pro inſigni victoria, quam hac ipſa hora claſſi noſtræ de Acenis dedit. Aderit die Veneris nuncius unicus, ſeque-

quetur ſtatim triumphans exercitus, lætus, & hoſtium ſpoliis dives; quibus dictis pulpito deſcendit. Vaticinium feriâ ſextâ cumulatè implevit eventus, Xaverius autem, qui præcipuè in ore exultantium ferebatur, maturatâ fugâ in oram Piſcariam ſeſe proripuit. *Bartolus in Vita lib. 2. n. 38.*

2. Sancta Virgo, & Martyr Barbara, cujus glorioſum agonem hoc die celebrat Eccleſia, vel hoc nomine charior nobis eſſe debet, quòd B. Stanislaum Koſtkam Viennæ ægrum inviſerit, & recreârit, quando ei Angeli divinam Euchariſtiam miniſtrârunt. *Nadaſi in Ind. Memor.*

3. Cracoviæ annô 1585. P. Petrus Skarga obſtinatum apoſtatam è Societate, & fide, Chriſtianum Franchen, multo labore, & induſtria DEO, & Eccleſiæ reconciliavit, atque ad palinodiam, quam pertinax refugiebat, in principe templo, coram innumero populo canendam, induxit, diſcipulum etiam ejus in Arianismum delapſum ſacro fonte tinxit eodem die, poſtquam eodem

eodem anno Veteranum quoque Calvini aſſeclam, & miniſtrum, Adamum Copickum, Eccleſiæ reddiderat. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 5. n. 98. & ſeqq.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Jendi in Japonia annô 1623. P. Hieronymus de Angelis, Italus, & Simon Jempo Japon, odio fidei flammis traditi, & combuſti, poſt inſignem à P. Hieronymo è flammis ad populum habitam allocutionem. In plures provincias fidem primus intulit; in regno Cami, cùm vix mille reperiſſet Chriſtianos, brevi decem millia baptizavit. In ipſo carcere, quadraginta ethnicos illo detentos convertit ad Chriſtum.

5. Limæ in Peruvia annô 1613. Petrus de Salazar, Hiſpanus. Ferventiùs aliquando orantem, & de cæleſtibus meditantem, Angeli fidium dulciſſimo concentu recreârunt: Sancta verò Barbara, cujus cultui eximiè addictus erat, cum pluribus ſanctis Virginibus ei ſpectandam ſe exhibens, quæſivit: An vellet proficiſci in cælum, ubi placidiſſima

diſſima quies, & vita ſempiterna? Annuenti Petro morbus paulò pòſt occurrit, deinde pia mors in ipſo divæ Barbaræ feſto.

6. Flexiæ in Gallia annô 1644. P. Joannes Chevalier, Gallus. Præcipua illi à teneris annis cura fuit conſervandæ Virginitatis, eámque ob cauſam intra religioſa ſepta in Societate ſe recepit, atque DEIparæ V. & Angeli Cuſtodis opem ſtudioſiſſimè implorabat, quam & expertus eſt. Quadam enim nocte ſenſit renes ſibi, veluti cingulô, tam arctè ab Angelo Cuſtode adſtringi, ut in clamores eruperit, contra carnis illecebras deinceps ſatis munitus. DEIparam V. ut Matrem ſuam filiali coluit affectu, quæ ſe illi non ſemel adſpectabilem, & liberalem præbuit in largiendis gratiis, quas P. Joannes pro infirmis, & aliis petebat. Amore divino ità æſtuabat, ut ardorem ferre non valens, exclamârit non raro: O amor! O faces! O incendia pectoris! Nec odioſus erat ille amor, ſed foràs erumpebat, miráque in proximorum ſub-

ſubſidium operabatur. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## V. DECEMBRIS.

I. GRegorius XIII. annô 1684. Sodalitatem ſtudioſorum in Collegii Romani Eccleſia erectam annô 1564. ſub DEIparæ V. Annunciatæ clientela, Primariam eſſe juſſit, amplámque conceſſit facultatem ſimiles alias per variarum provinciarum Collegia eidem aggregandi, cum participatione gratiarum, & Privilegiorum Primariæ conceſſorum. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 5. n. 14.*

2. Annô 1590. Gregorius XIV. creatus eſt Pontifex Max. antè Nicolaus Sfondratus, dictus, qui utì Gregorii XIV. nomen aſſumpſerat, ità pro ſua virtute, excellentíque pietate in totam Eccleſiam, ac proprio quodam erga Societatem ſtudio, repræſentaturus animum, & tempora Gregorii XIII. ſperabatur. Magni faciebat, & familiariter diligebat Claudium Generalem; qui cùm de more illi offerret

So-

Societatis obſequia: Non poterat, inquit, cadere in quenquam hoc munus, qui magis eſſet affectus in hunc veſtrum ordinem, quem nos amamus, & magni æſtimamus. Sub hæc inter alia paternæ benignitatis indicia notabile contulit domui Profeſſæ ſubſidium, ad diſſolvendum æs alienum, & in ſingulos menſes eleemoſynam conſtituit Aureorum 50. Præterea Seminaria omnia, quæ Gregorius XIII. inchoârat, non ſolùm confirmavit hortante Claudio, ſed etiam, quæ ſub extrema Sixti tempora vel derelicta erant, vel lababant, aſſignatis ex ærario Pontificio penſionibus in integrum reſtituit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 10. num. 65.*

## *Eodem die obierunt.*

3. In Mazua Sinûs Arabici inſula, annô 1596. P. Andreas Gualdanes, Luſitanus, Patris Andreæ Oviedo, Patriarchæ Æthiopiæ, ſocius. Poſt ſtrenuos, & fructuoſos in Æthiopia, labores, à Turcis comprehenſus, odio fidei haſtis transfixus, occubuit.

4. Ro-

4. Romæ annô 1653. P. Octavius Boninus, Italus. Frequenter ſe excitabat ad curandas diligenter res animæ, illo apophthegmate Chriſti: *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſua detrimentum patiatur?* Exhortationes, quas domi ad ſocios dicere parabat, Patri ſuo ſpirituali primùm oſtendebat, rogarátque: ut limaret; quod ſi factum eſſet, libentiùs eas pronunciabat, tanquam cæleſti calculo jam probatas. Nobilem virum in ſecreto conclavi adiit, & deprompta è ſinu Crucifixi effigie, ſupplex in genua projectus, tam accomodatè, fortitérque aggreſſus eſt, ut ad frugem meliorem reduxerit. Quadam in urbe cùm fœminæ colla, pectoráque impudenter nudata, geſtarent, Pater autem ex juvenibus, viríſque pluribus reſcîſſet, ſe illarum aſpectu graviter tentari, conventione facta cum Concionatoribus, & Confeſſariis ejus loci, de non danda talibus abſolutione, niſi meliora promitterent, fœda illa objecta brevi eliminavit.

5. Choy-

Digitized by Google

5. Choynecii in Polonia, an. 1656. P. Stephanus Staroſcirski, Polonus. Miſſionarius impiger, Eccleſiaſtem zeloſum non ſolùm egit in vita mortali, verùm etiam poſt mortem. Cuidam enim è Sociis in Sueticì Carceris ſqualore tabeſcenti apparuit, monuítque, ut æternam vitam per patientiæ lucra contenderet adipiſci.

## VI. DECEMBRIS.

1. IN India annô 1575. P. Valignanus Viſitator Congregationem collegit Provincialem, non ſolùm de rebus Societatis, ſed etiam promovendo Chriſtianiſmo conſultaturus. Inter cetera decretum eſt: ut Provincia Indica non divideretur in duas, quarum una eſſet cis Gangem, altera ultra Gangem, ſed Provinciali addendum eſſe Vicarium, qui domicilia ultra Gangem gubernaret cum dependentia à Provinciali, ut per ejus viſitationem conſuleretur domeſticorum neceſſitatibus, & nihilominus ab uno eodémq; capite pendentibus omnibus

do-

domiciliis utriusque regionis conſervaretur animorum conjunctio, & mutuum auxilium. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 4. lib. 3. num. 221.*

2. In Litvania Venerab. P. Nicolaus Lancicius, annô 1590. tum adhuc adoleſcens, ejuratâ Calvini ſectâ, ad fidem orthodoxam converſus, in feſto S. Nicolai Epiſcopi primò Sacram Euchariſtiam ſumpſit Vilnæ. Mira omnibus viſa eſt adoleſcentis vocatio, tam ad fidem, quàm Religionem. Sectæ Calvini ità devinctus erat, ut paſſim profiteretur, ad ſanguinem, & mortem ſe pro ea pugnaturum. Unde, cùm rumore populari accepiſſet: Cardinalem Radivilium facultatem à Rege obtinuiſſe, vi ac tormentis in hæreticos agendi: Nicolaus, ut palàm faceret, ſe nihil moveri terriculamentis, vel tormentis, veſte à collo reducta nudatus, compluribus horis publicè inceſſit, voluítque primus eſſe, in quem Cardinalis poteſtatem illam exerceret. Singulari tamen Providentia Divina contigit, ut quamvis tanto ardore pro ſecta

Calvini ageret, nunquam tamen adduci potuerit, ut ad Cœnam Calviniſticam accederet. Quod ipſe pro magno beneficio divino deinde habuit. Poſt ſuſceptam autem Catholico ritu Euchariſtiam ità incaluit igne divini ſpiritûs, ut nemine ſuadente, in Sacello DEIparæ V. votum conceperit, emiſerítque perpetuæ Caſtitatis, quam abs ſe nunquam læſam meminerat, etiam in illa fidei licentia. Religionis quoque ineundæ in Societate Votum alterum edidit, in cujus executione non parum, nec levium impedimentorum habuit. Geminam enim, eámque duram, à P. Provinciali conditionem accepit: ut primùm Parentem Calviniſtam converteret, atque ab eodem licentiam ingrediendi Societatem obtineret. Iterum ergo, feſto S. Nicolai die, audendum ratus, patrem aggreditur ſub ejuſdem Sancti auſpiciis; & quamvis non ſtatim, iteratâ tamen ſæpiùs impreſſione, utrumque feliciter obtinuit. *Balbinus in Vita cap. 5.*

Eo-

Digitized by Google

*Eodem die obierunt.*

3. In regno Ceilano Indiæ Orientalis, annô 1616. P. Joannes Metella, Luſitanus, & P. Ludovicus Polingottus, Italus, odio fidei à barbaris confixi lanceis, capita præciſa haſtilibus affixa in ſpectaculum, cadavera ad Crucis pedem abjecta.

4. Bruxellæ in Belgio annô 1619. P. Franciſcus Coſterus, Belga. In Provinciis quas gubernavit, primus DEIparæ V. Sodalitates erexit. Antverpiæ locò Coloſſi profani, ante Curiam grandem illius ſtatuam poni curavit. Rogatus, quis cultus DEI Matri eſſet gratiſſimus? Reſpondit: *Conſtans, quamvis exiguum.* A. S. P. N. Ignatio, cui Romæ charus erat adhuc juvenis, ſingulariter commendatam habebat Humilitatem, Obedientiam, perpetuam quandam lætitiam. Quæ tria ipſemet poſtea commendavit nobili juveni, Carolo Grobendonque, addidítque, ſe poſt acceptam à S. Patre commendationem illam, ſolicitè cogi-

tâſſe, ac B. V. interpellâſſe, quomodo ſemper lætus eſſe poſſet, præſertim in gravi infirmitate, v. gr. podagra? Reſpondit autem Virgo: *Franciſce, promittas mihi, quòd ſemper ſis futurus humilis, & obediens, & ego tibi promitto, quòd nunquam ſis futurus æger, adeóque ſemper poteris eſſe lætus.* Et adjecit P. Franciſcus Carolo: Si quis tibi dixerit: P. Coſterum ægrotare, ſcias fore mendacium, B. Virgini injurioſum. Idem enim erit Coſtero ægrotare, & mori. Ità factum. Quamvis verò tam integra eſſet Virginitate, ut nec à cogitationibus fœdis infeſtaretur, corpus tamen aſſiduè flagris, & ciliciis in ſervitutem redigebat. Cum deſertoribus Societatis nullam noſtris volebat eſſe converſationem. Colloquiis ſpiritualibus maximopere delectabatur; ſi alia inſererentur, obdormiſcebat. Obiit anno ætatis 88. Societatis 67. Rogatus, an libenter moreretur? Reſponſum dedit S. Ambroſii: *Ità vixi, ut me vixiſſe, non pudeat, mori autem non timeo, quia bonum Dominum habemus.*

5. Ro-

Digitized by Google

5. Romæ annô 1686. P. Nicolaus Avancinus, Germanus Tirolenſis, vir multæ eruditionis, ac religioſæ perfectionis. Rexit Collegia Paſſavienſe, Græcenſe, Viennenſe, domum quoque Profeſſam Viennenſem; Provinciam Bohemiæ pro Generali Præpoſito viſitavit; Romam adiit, primùm Procurator, deinde Elector à Provincia Auſtriæ lectus: ubi in Congregatione XII. Generali Aſſiſtens Germaniæ creatus eſt. Non pauca edidit felice vena, vincta ſolutáque oratione, quæ paſſim in manibus oculíſque legentium verſantur.

## VII. DECEMBRIS.

I. ANNO 1605. habita eſt Congregatio, & diſputatio 35. coram Clemente VIII. de Auxiliis Gratiæ. Quæſtio erat: *An ſcientia, quam DEUS habet de futuris conditionatis liberis, ſit in ipſo ante abſolutum Decretum voluntatis divinæ?* P. Baſtida ſumma animi alacritate ad eam diſputationem acceſſit, ac inprimis oſtendit: ab ad-

verſariis duplex poni divinæ voluntatis decretum, quamvis univerſa cæterorum Theologorum ſchola unum tantùm agnoſcat; ſcilicet alterum abſolutum ſimpliciter, ut quod DEUS abſolutè, ſimpliciter, & abſque ulla conditione ſtatuit, v. g. ut mundus ſit; Alterum abſolutum in ſe, quod tamen objectum habeat conditione certa affectum v. g. Volo ut Tyrii convertantur, ſi illis Chriſtus prædicaverit. Demonſtravit ergo Baſtida: Scientiam divinam futurorum conditionatorum liberorum neceſſariò præcedere utrumque illud Decretum voluntatis Divinæ: neque ſatis congruè poſterius illud Decretum divinum dici abſolutum, cùm revera ſit conditionatum. *Eleuth. hiſt. Auxil. 5. c. 47.*

2. In Hiſpania ſingulari Providentia divina ſublevata eſt annô 1567. egeſtas Collegii Valliſoletani, quod S. Ambroſii dicitur. Propè erat dies, quo ob debita contracta ſatisfaciendum erat creditoribus; ſed cùm domi res anguſtiſſimæ eſſent, recurſus factus

ad

Digitized by Google

ad amicos, impetratum autem nihil, quòd aliis facultas, aliis deeſſet voluntas juvandi. Veſpere igitur indicuntur Sociis preces pro quadam urgente neceſſitate domeſtica. Oratum ferventer, & impetratum feliciter, quod deſiderabatur. Primo enim manè præ foribus fuit famulus ab Anna Pacia, opulenta matrona, miſſus cum aureis trecentis. Lætus opportuniſſimo ſubſidio P. Franciſcus Porrius, paulò pòſt præfatam adiit, matronam ampliſſimas acturus gratias. At illa: nihil opus eſt, inquit, actione gratiarum, nam propè coacta miſi. Cùm enim ad quietem heri ſeceſſiſſem, ſomnus omnis fugiebat ab oculis, vox autem continuò ingerebatur auribus: Cur non ſubvenis pauperi Collegio Societatis? Urgebat autem ità, ut propè abfuerit, quin nocte imtempeſta mitterem nummos illos, quorum numerus etiam menti impreſſus fuit. Sic DEUS die S. Ambroſii Ambroſiano ſuo ſubvenit Collegio. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 3. num. 187.*

 Eo-

Digitized by Google

*Eodem die obierunt.*

3. Romæ 1549. P. Petrus Codacius, Italus. Primus ex Italis Societati nomen dedit, Sacerdos jam tunc honoratus, & locuples ę Pontificia familia, eámque, & eximiis virtutibus egregiè ornavit, & temporalibus ſubſidiis ità juvit, ut S. Pater fundatorum honores illi decreverit, & præter ſuffragia defunctis fundatoribus exhiberi ſolita, lapidem cum epigraphe poni juſſerit. Illius enim curâ Societas domum, & templum Romæ primùm accepit, illius erat alumna, tam tenere, & conſtanter amata, ut S. Ignatius dixerit: Eum ne verberibus quidem ex illa pelli poſſe.

4. Apud Hurones in America, annô 1649. P. Carolus Garnier, Gallus, Apoſtolicis laboribus apud eam gentem clarus. Ad juvandos moribundos utebatur potiſſimùm Angelorum Cuſtodum operâ, quibus illorum curam impenſiùs commendabat. Et vidit nonnemo ægrotum, Patri Carolo aſſiſtentem Angelum, qui infirmum monebat:

Digitized by Google

bat : ut Patris monitis atque conſiliis diligenter pareret. Irruentibus deinde Hiroquæis barbaris in Hurones Chriſtianos, & promiſcua cæde ipſos delentibus, cùm P. Carolus animam agentes expiaret, & catechumenos baptizaret, tribus globis trajectus eſt, cùm nihilominus ad ſaucium quendam adrepſiſſet, eúmque à noxis abſolviſſet, ſecuri in caput adacta occubuit.

5 Tornaci in Belgio annô 1621. Ignatius de Raſſinghem, Belga, Coadjutor, Illuſtriſſimo licèt genere ortus, & linguæ Latinæ non ignarus, elegit Coadjutorum ſortem, infimis muniis ſingulari alacritate addictus. Per omnem vitam nihil, quod majus momentum haberet, aggrediebatur, niſi benedictione à ſuperiore, de genibus petita, quam ubi etiam pro ſupremo agone petiit, & obtinuit, feliciter migravit.

## VIII. DECEMBRIS.

Cum ad condendam ſtabilem, & accuratam Rationem ſtudiorum, evocati ex variis Provinciis Patres ſex,



Digitized by Google

virtute ac eruditione eximii, conveniſſent Romæ annô 1584. ut tantum opus, quod univerſæ Societati normam docendi præberet, auſpicatò inchoaretur, & feliciter abſolveretur, ipſo Conceptionis Marianæ die duxit illos R. P. Generalis Claudius ad ſummum Pontificem Gregorium XIII. pro benedictione obtinenda. Bene precatus Pontifex Optimus, ſedulitatem ac celeritatem operi tam ſalutari, ut adhiberent, seriò eſt adhortatus. Domicilium peropportunum, & commodum hybernis quidem ſex menſibus in Pœnitentiaria S. Petri, æſtivis autem caloribus per trimeſtre ſpatium, in Quirinali monte ad S. Andream illis eſt attributum. Horæ ternæ diebus ſingulis in conſultatione ponebantur, temporis reliquum legendis Doctoribus, & Commentariis, traducebatur. Totum negotium in duas primarias partes diſtinctum fuit: in opinionum delectum, & praxim Scholarum. Quibus expeditis accuratiſſimâ diligentiâ, totum opus rurſus ſub incudem revocatum eſt, re-

le-

Digitized by Google

lectum coram omnibus illis ſex Conditoribus, & ſiquid opus fuerat, emendatum, deinde Collegii Romani Theologis traditum eſt, ut ab ipſis primùm, deinde à reliquis per univerſam Societatem expenderetur. Atque ſic ſatis operosè abſoluta eſt Ratio illa ſtudiorum. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 4. n. 8. &c.*

2. Ferbuit, etiam feſto die, diſputatio de Auxiliis Gratiæ coram Clemente VIII. annô 1603. in Congregatione 23. Propoſitum fuit: *Quid intelligat Molina, dum dicit: quòd in actibus elicitis ex ſola facultate naturali, reſpicientibus fidem, ſpem, & charitatem erga DEUM, DEUS inſerit ſe, & elevat eos, & facit ſupernaturales?* Reſpondit P. Baſtida, Molinam non velle, quòd DEUS illos ipſos actus, qui eliciti ſunt à potentia tantùm naturali, & in ſe ſunt naturales, faciat ſupernaturales, ſed quòd præcedentibus illis actibus naturalibus ſolet DEUS per conprincipia ſupernaturalia elevare potentias ad produ-

cendos actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis. Et hoc probavit ex doctrina Molinæ. *Eleuther. hiſt. de Auxil. lib. 5. cap. 27.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Calari in Sardinia annô 1594. P. Petrus Eſpiga, Sardus, Pauperum, & Captivorum Pater, Sardiniæ Apoſtolus habitus. Corpore admodum puſillo ingentem animum circumferebat, quo Epiſcopatum, & Archiepiſcopatum oblatum repudiavit, atque ardua multa, Divinæ gloriæ, & animarum causâ aggreſſus eſt, & ſuperavit. Incredibile eſt, quàm tenera, quàm ſolicita, & ingenioſa charitate intentus fuerit in omnem occaſionem juvandi pauperes, captivos, & generis omnis afflictos. Clerum ſæcularem exemplo ſuo, & opportunis monitis, ad virtutum heroicarum exercitium, præſertim in cura pauperum, ità induxit, ut ignem divinum cælitus ſuper illos induxiſſe videretur. Magnatum quoque ità corda occupaverat, ut ea arbi-

Digitized by Google

bitratu ſuo flecteret, quò vellet, ad miſeros juvandos. In ſupremo morbo rogatus à P. Collegii Rectore, anxio, nè poſt obitum illius Collegium exſolvendis debitis gravaretur, quantum æris alieni contraxiſſet? Reſpondit: *Mille quingentarum librarum.* Videns autem hominem conſternatum; *Ne timeas Pater*, addidit, *Nam mutuum hoc DEO contractum eſt, cui incumbit, id ſinè nobis reſtituere; & facturum omninò, nè dubita.* Vulgato eo Patris reſponſo per urbem, adfuit eodem die ægrum inviſens Prorex cum Archiepiſcopo, ſuſcepítque promptus totum illud debitum ſuo ære exſolvendum. DEUS quoque ſignis multis officioſam, hanc, & magnanimam Patris charitatem mirificè promovebat.

4. Salmanticæ in Hiſpania, annô 1559. Alphonſus de Prato, Coadjutor Hiſpanus. Audito S. Borgiæ in Societatem ingreſſu, & profundiſſimæ humilitatis ſtudio, Societatem expetiit, nec alium in ea gradum, quàm Coadjutoris temporalis, admiſit, quamvis illi

illi parum ſcientiæ deeſſet, ut vel inter Profeſſos cenſeretur. Immaculatæ Virginis DEIparæ Conceptioni addictiſſimus, cùm à Viſitato Ven. Sacramento Fratres accederet, pro more ſuo locuturus de eo myſterio, præter ſolitum vultu alacrior, & inflammatior, mox inclinato ad aſſidentem capite, piam humilémque animam edidit.

## IX. DECEMBRIS.

I. ROmæ habita eſt annò 1602. Congregatio, & diſputatio XI. coram Clemente VIII. de Auxil. Grat. Examinata eſt propoſitio Molinæ tertia, & quarta, Semipelagianiſmi inſimulata: *Quòd poſſit homo ex ſola facultate naturæ diligere DEUM ſuper omnia.* Et *quòd DEUS expectet noſtros conatus; quódque DEUS nos aliquando præveniat.* Reſpondit pro Molina P. Arrubal: pluribus modis diſcrepare Molinæ doctrinam à Caſſiano, Semipelagianiſmi authore. Nam hic docuit 1. poſſe hominem viribus naturæ diligere DEUM ſuper omnia tanquam finem ſuperna-

tu-

Digitized by Google

turalem, & charitate, quæ eſt virtutum omnium perfectiſſima. 2. Super omnia, etiam ad finem ſupernaturalem ordinata. 3. Dilectione ſufficiente ad juſtificationem. 4. Dilectione ſufficiente atque robuſta ad implendam multo tempore legem naturalem, etiam urgentibus multis gravibúsque tentationibus, & difficultatibus. Molina nihil horum docuit. Probavit utrumq; teſtimoniis diſertis ex utroque allatis. In altera quoque propoſitione non convenire Molinam cum Caſſiano oſtendit: Quia hic docuit: DEum non vocare omnes homines, antequam operentur piè, ſed potiùs alios eſſe, qui per conatus pios ex naturæ viribus præveniunt, & impetrant gratiam; alios autem, qui à gratia præveniuntur, ac proinde duos eſſe ordines adultorum, qui in Eccleſia juſtificantur. Molina autem nihil horum aſſeruit, nec tales duas claſſes ſtatuit, ſed docet: omnes à DEO præveniri gratiâ ad juſtificationem. Probavit claris textibus

Mo-

Digitized by Google

Molinæ allatis. *Eleuther. hiſt. Auxil. lib. 5. cap. 15.*

2. Annô 1587. Sigiſmundus Sueciæ princeps, à Polonis electus in Regem, feliciter pervenit hoc die Cracoviam, ubi die S. Joannis Evang. coronatus eſt. In comitatu ſuo habuit P. Bernardum Golinium, quem conſcientiæ ſuæ, & pietatis, habebat directorem, amabat ùt patrem, ſequebatur ùt ducem. Tantùm verò in fidei ac religionis conſtantia profecerat: ut ſæpe ſolicitatus à Sueciæ proceribus ad mutationem religionis, diſertè teſtatus ſit: malle ſe potiùs paterno regno, quàm religione materna (id eſt Catholica) ſpoliari. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 7. n. 36.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Manilæ in Philippinis inſulis, an. 1681. P. Franciſcus Calderon, Hiſpanus. In Japonia per annos 30. ſtrenuo labore promovit rem Chriſtianam. Miſſionariis noſtris domum redeuntibus, pedes ipſe, lavabat, ſuaviſſimè illud ingeminans: *Quàm ſpecioſi pedes Evan-*

Digitized by Google

*Evangelizantium pacem?* Paupertati ità addictus erat: ut etiam Breviario uteretur alieno. Examen particulare constanter ad mortem uſque abſolvit, cujus rationes notatæ ſub cervicali inventæ ſunt poſt mortem. Si quis morientem interpellaret, petebat ſibi relinqui. *Putántne*, ajebat, *parvi momenti occupationem eſſe, agonizare? Mihi nunc negotium eſt cum DEO, & Angelis.*

4. Placentiæ in Italia annô 1620. P. Julius Urſinus, Italus, ex inclyta Comitum Petilianorum familia. Angelica modeſtia, & puritate conſpicuus, protegente DEIpara V. eandem ſervavit. Collegii Florentini Rector conſtitutus, cælorum Reginam eidem præfecit, & maternam ejus curam expertus eſt. Cuidam pro P. Julio infirmo impenſiùs oranti viſa eſt manus lilium ſpecioſum decerpens: unde intellexit, eum inſtar lilii candidiſſimi floruiſſe, ſed jam non tam mortis falce ſuccidendum, quàm divino pollice decerpendum. Eidem poſt illius mortem ſcire deſideranti, qua in virtute potiſſimùm

emi-

Digitized by Google

emimuiſſet P. Urſinus? Vox manifeſta dixit: *Illum vixiſſe mortuum.* Non deſunt fidem omnem commeriti teſtes, qui affirment: ſe P. Julium vidiſſe inter orandum, aliquot cubitis à terra ſublimem. Ante mortem Patri Spirituali aſſeveranter dixit: ſibi adoleſcenti Beatiſſimam V. viſam, dixiſſe voce manifeſta, quòd ipſa illius puritatis tuendæ curam ſuſceperit.

## X. DECEMBRIS.

I. ABſoluto feliciter Tridenti Concilio Oecumenico, an. 1564. Lainius Præpoſitus Generalis, cum Salmerone, Polanco, & Natali maturabant reditum in Urbem. Quà quà ibant, non gravabantur prædicatione Verbi divini erudire populum. Venetiis eum plauſum tulit Salmeron in feſtis Chriſti Natalitiis, ut ibi relinqui debuerit, Duce multiſque civium flagitantibus, ad ſacras per Quadrageſimam habendas conciones. Forolivii ea curioſitas vexavit cives; ut videre vellent, quo apparatu in Collegio exci-

ciperetur Generalis Societatis Lainius, quàm ſplendido peripetaſmate veſtita eſſent conclavia &c. Cúmque omnia vidiſſent ad ſimplicitatem, & paupertatem religioſam compoſita, nec quidquam ſplendoris aut ſingularis commoditatis apparere, non ſinè indignatione receſſerunt, quòd tantæ Perſonæ is eſſet neglectus, ac ferè contemptus. Nimirum non intellexerunt, quæ eſſet pauperum ſpiritu beatitudo, & gloria. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 8. num. 1. & ſeqq.*

2. In Hiſpania cùm nonulli è ſacra PP. Prædicatorum familia, anteſignano Melchiore Cano, acerbiùs inveherentur in Societatem, ac Socios apud populum traducerent, velut præcurſores Antichriſti, quamvis non deeſſent ex eadem ſacra familia viri graviſſimi, & doctiſſimi, qui verbô, & ſcriptô Societatem defendebant, viſum tamen eſt Reverendiſſimo P. Franciſco Romæo, Generali totius Ordinis Magiſtro, per Epiſtolam annô 1548. hoc die datam Romæ, omnibus eandem So-

Societatem commendare, ac præcipere, ut eam potiùs tueantur, quàm perſequantur. Omnibus, inquit, ſingulis præfatis fratribus præſentium tenore mandamus, & authoritate noſtri officii, in virtute Spiritûs S. & Sanctæ Obedientiæ, ac ſub pœnis arbitrio noſtro taxandis, præcipimus, nè dicto Ordini per Apoſtolicam Sedem approbato, & confirmato, aut ejus inſtitutis ullo modo detrahere, aut de eo obloqui audeatis, tam in publicis lectionibus, ſermonibus, & congreſſibus, quàm in privatis veſtris colloquiis, quin potiùs eum, Presbyteroſque ejus, tanquam veſtros commilitones, juvare, & contra impugnantes protegere, & tueri ſtudeatis. In quorum fidem &c. *Dat. totam Epiſtolam Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 8. n. 50.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Monaſterii in Germania annô 1655. Petrus Schmidt, Coadjutor, Germanus. Inſignis religioſi, & præſtantis

Digitized by Google

tis œconomi elogiô honoratus, orandi & laborandi ſtudium ità conjunxerat uſu aſſiduo, ut laborantem juvaret oratio, orantem non turbaret labor. Noctu aliquando, iterata Angeli ſui Cuſtodis, ut putabat, voce, eáque altiore, & urgente, impulſus eſt, ut ſurgeret, utque cellam vinariam adiret. Paruit, reperítque, Vini vas, ruptis aliquot vinculis, ſeu circulis, propè diſſolutum, vinúmque effuſioni proximum. Indè in cultu S. Angeli Cuſtodis, qui ſemper ei cordi fuit, magnopere confirmatus.

4. In Paraquaria Sanctè defunctum P. Martinum Xaverium, ponit hoc die Nadaſi. Fuit P. Martinus clariſſimæ in regno Navarræ, & S. Franciſcum Xaverium ſanguine attingentis familiæ hæres unicus. Trophæa Indiarum Apoſtoli aſſiduè, támque fortiter ſtimulârunt juvenem, ut annuo cenſu trium millium aureorum relicto, Matre invita, in Societatem ſe receperit, atque in Paraquariam evolârit. Ibi Guaitanis laborioſam præſtitit operam, inſigni

gni linguæ peritia, magníſque ac arduis itineribus exantlatis. Peſte infectis miniſtrantem oppreſſit morbus contagioſus, non ſinè dolore, quòd morte incruenta defungeretur. Poſt mortem variis conſpectus eſt glorioſus.

## XI. DECEMBRIS.

I. SCholæ Collegii Cordubenſis apertæ ſunt annô 1553. in quinque claſſes inferiores diſtinctæ, magna Civitatis gratulatione. Paulò pòſt postulatu Doctoris per Hiſpaniam celeberrimi, Joannis Avilæ, qui Cordubæ cum diſcipulis ſuis verſabatur, Græcæ quoque literæ tradi cœptæ, & Officiorum explicari rationes. Ferebatur ille eo in Societatem affectu, ut quàm primùm vidit noſtros in ea urbe figere domicilium, magnitudine gaudii elatus, in Canticum Simeonis eruperit: Nunc dimittis ſervum tuum Domine. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 13. n. 41.*

2. Apud Sinas Pechino à Noſtris expeditus eſt Joannes Ferdinandus, qui

Digitized by Google

qui Fratrem Benedictum Göes Luſitanum, quibus poſſet viis deduceret Pechinum. Fuit is Frater à P. Nicolao Pimenta, Indiæ Orientalis Viſitatore, expeditus ad inquirendum celebre illud, atque à multis quæſitum, regnum; *Cataium*. Patres enim, qui in imperio Magni Mogoris verſabantur, ex relatione Saracenorum, multa de eo regno, quod ad Orientalem plagam jacere affirmabant, referebant, atque in P. Viſitatore zelum excitârunt juvandi regionem illam, & gentibus, & Chriſtianis, ùt ferebatur, abundantem. Expeditus eſt ad illud iter Frater Benedictus à P. Hieronymo Xaverio, qui Miſſioni Mogorenſi præërat, habitu negotiatoris Armeni, an. 1603. initio Januarii. Per immenſum terrarum tractum, & ſexcenta, imò continua pericula, eò tandem DEI protectione, & prudentia induſtriáque ſua eluctatus eſt, ut ad muros Sinenſes, Sinas à Tartaria dividentes, pervenerit, ac tandem intra regnum admiſſus,

ex

ex urbe Soceu ad P. Matthæum Ricci-um, in Pechinenſi metropoli habitan-tem, literas dedit, ſignificando de ad-ventu ſuo, & cauſa itineris. Expedi-tus ad illum deducendum ad Socios Joannes Ferdinandus, ægrè confecto ferè quatuor menſium itinere, invenit tandem deſideratum Fratrem Benedi-ctum, ſed gravi morbo laborantem, ex quo etiam poſt dies undecim deceſſit, cùm nec medicus idoneus adeſſet, nec vires ſuppeterent ad iter Pechinenſe. Incredibile dictu eſt quantô delibutus fuerit gaudiô, quòd inter amplexus fraternos expirare liceret. Retulit autem: ſe certò comperiſſe, Cataium quæſitum non aliud, vel alibi eſſe, quàm Imperium Sinarum; & Metro-polim à Saracenis appellatam Cambul eſſe Pechinum Sinenſe, & de his in-formari voluit Superiores ſuos in India & Proregem, qui ipſum expediverant. *Trigantius in Expeditione ad Sinas lib. 5. cap. 13.*

Eo-

Digitized by Google

## *Eodem die obierunt.*

3. Mediolani in Italia, annô 1612. Ludovicus Vicecomes, Italus, Scholaſticus. Nobiliſſimam domum ornavit inſigni morum innocentia, & virtute. Ut Societatem ingredi liceret, multæ illi ſuperandæ difficultates fuerunt: ad ejus pedes, qui religioſas veſtes ipſi afferebat, exultabundus ſe abjecit, eóſque exoſculatus, gratias egit pro veſtimentis ſalutis. Humilitatis ſtudio præcipuo tenebatur, illis potiſſimùm Bullæ Pontificis verbis accenſus: *Requirit hoc Inſtitutum homines verè humiles in Chriſto.* Magno flagrabat deſiderio, excellenti quadam ratione ſerviendi DEO, unde, cùm id per morbum, quo ſenſim atterebatur, non poſſet, mœrore tabeſcebat. Cúmque à ſuo in Philoſophia Magiſtro cauſam doloris explicare juberetur, in uberes lacrymas ſolutus, dixit: *Quia per adeò afflictas corporis vires, DEO ſervire non poſſum, prout illi ſerviendum eſſe cognoſco, & volo.* Dum extremè ungeretur, Cruci-

cifixum complexus, eam, quæ ungebatur, corporis partem ſuaviſſimè oſculabatur in ſimulacro Chriſti, oculos, aures, os, manus, pedes, & latus; & feliciter exſpiravit.

4. Pariſiis annô 1652. P. Dionyſius Petavius, Gallus, Vir virtute & doctrina planè eximius, atque inter prima Societatis lumina recenſendus. Invitavit illum Philippus IV. Rex Hiſp. ad Academiam ſuam recenter Madriti erectam Urbanus VIII. Pont. non ſemel Romam evocavit, ſed obſtitit Rex Galliæ Ludovicus XIII. non ferens, viro tanto regnum ſuum privari. Præter editos Tomos 5. in folio Theologicorum Dogmatum, edidit complura alia varii argumenti Opuſcula, & multa Græcorum Scripta in idioma Latinum tranſtulit, Latina quoque in Græcum. Cùm in extremo morbo acerbiſſimis doloribus cruciatus, confidenter quereretur coram DEO, vocem cælitus audiit: *Tu de me cogitas ut homo: Ego de te cogito ut DEUS.* Unde mox, & lumen, & levamen ortum eſt ægro. *Sotuell. in bibl. Soc.*

XII.

# XII. DECEMBRIS.

I. ANnô 1558. epiſtolam, paterno pariter ac Apoſtolico zelo plenam, dedit Præpoſitus Generalis Lainius ad Socios in India, & Braſilia laborantes. Inprimis ſignificat, ſe pro ipſis quotidianas indixiſſe preces per univerſam Societatem in Europa. Deinde oſtendit. 1. Vocationis in Indias præſtantiam ex gravitate operis, & operariorum dignitate. Magnum, inquit, Fratres chariſſimi, beneficium, magna indulgentia eſt divinæ ſummæque Bonitatis in eos universè omnes, quos ad hanc minimam vocat Societatem ſuam, gratiæque ſuæ ope dignatur, per quam ſecundùm ejus inſtituta vitam degant: eorum tamen, quibus ea ſors evenit, ut in ejus ſervitium iſtis in regionibus laborent, ſingulare inprimis eſt donum, tum propter momentum, & gravitatem operis, quod vos tractatis; tum propter operariorum privilegium, quod vobis datum

eſt valde ſingulariter, non modò ut multa faciatis bona, ſed etiam ut multa perferatis mala &c. 2. Declarat, quanta illis impoſita ſit neceſſitas tendendi ad perfectam virtutem, tum quia plurimas habent occaſiones eam excolendi, & quodammodo excoquendi igne variarum tribulationum, & ærumnarum, tum quia ad converſionem, & ſpiritualem gubernationem barbari illius populi non vulgaris requiritur virtus, tum quia univerſæ Societatis oculi in illos intenti ſunt, & fructibus laboris ipſorum paſci deſiderant. 3. Tradit præcepta, quibus juventur ad propriam corporis animíque ſanitatem ac ſalutem tuendam. Quandoquidem, inquit, vos tanquam hoſtias vivas integre DEO ac procreatori noſtro ac Domino obtuliſtis; ut vos uſquequaque in negotia gloriæ, & obſequii ejus, & ſuarum animarum juvamen impendatis, id ità exequi memento te, ut corpus quidem diu perferre laborum ſuorum nus poſſit, curantes

rantes, & valetudinem ei, & neceſſarias ad opus vires tueri; anima verò veſtra nequaquam ſe ipſam negligat, quoniam Chriſti D. ſententiâ, nihil vobis prodeſſet, totum mundum lucrari, ſi detrimentum veſtræ animæ faceretis. Nec non ipſa, quantò acriùs ad ſui perfectionem connitetur, tantò ad alienas juvandas evadet utilior. Commendat ergo, ut cautè ambulent in medio nationis pravæ, timore, & amore DEI regantur, orationi, & Examini diligenter incumbant, inter ipſos labores mentem ad DEUM eleveat, & quot annis Exercitiis ſpiritualibus vacent &c. Quæ omnia non ſolùm ad Indicos, ſed etiam Europæos Miſſionarios juvandos, plurimùm conferunt. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 2. n. 188.*

### *Eodem die obierunt.*

2. In Philippinis inſulis annô 1626. P. Emmanuel Martinez, Hiſpanus. Virgineos ejus oculos videtur Chriſtus honorâſſe eâ gratiâ, ut ſeipſi ſpectandum

 ob-

Digitized by Google

objecerit; orandi verò attentiſſimum ſtudium, præſertim in perſolvendis Canonicis precibus, eo prodigio probavit, ut Breviarium ejus in mare delapſum nec mergi, nec omnino madefieri permiſerit. Morienti adfuit amicus quidam ſæcularis, vanitatibus mundi nimiùm intricatus, videns autem P. Emmanuelem intrepidum, & religioſiſſimo apparatu mortem operientem, rogavit inſtantiſſimè, ut beatam æternitatem ingreſſus, impetraret ſibi à DEO gratiam efficacem pro dirumpendis mundi laqueis, & ſtrenua ſui victoria. Vix animam egerat Pater, cùm vir ille altiſſimo de peccatis dolore ſaucius, in lacrymas amariſſimas effuſus, generalem de tota vita Confeſſionem inſtituit, & animum ad ſequenda Chriſti ſigna convertit.

3. Suldæ in Belgio annô 1597. P. Franciſcus Fabricius, Belga, ſtrenuo glorioſóque inter peſtiferos labori immortuus, deceſſit, vel in medio cadaverum putridorum ſolitus confitentes expiare.

4.

Digitized by Google

4. Romæ annô 1686. P. Carolus de Noyelle, Societatis Præpoſitus Generalis, Belga. Ut ſummo ſuffragiorum omnium conſenſu Societatis regimen adiit, ità illud ſumma omnium, etiam externorum, approbatione, ferè quinquennium tenuit. Inſtituti ſcientiſſimus, ut illud cæterorum obſervantiæ commendaret efficaciùs, in ſe ipſo exemplar ipſius expreſſit abſolutiſſimum. Admirabilis fuit viri conſtantia, tum in uſu communis vitæ, nulla ſingularitate inquinatæ, tum in adverſis æquiſſimo animo, & vultu tolerandis. Iis, quæ perſonam ejus tangebant, videbatur prorſus non tangi, verùm ad ea, quæ Societatem impetebant, admodum delicato erat ſenſu. Obiit in domo Profeſſa Romana, annô ætatis 71. parentavítque Optimo Patri non ſolùm Societas ſingulari luctu, ſed etiam Innocentius XI. Pont. Max. lacrymis profuſis. *Ex literis Encyclicis A. R. P. Thyrſi Gonz. Præp. Gen.*



Digitized by Google

# XIII. DECEMBRIS.

I. INchoatum eſt annô 1545. Sacroſanctum Concilium Tridentinum ſub Paulo III. Pont. Max. qui, ùt maximo ſtudio intentus erat in felicem ejus progreſſum, & exitum, ità præter Cardinales, Epiſcopos, & Ordinum Religioſorum Abbates, intereſſe voluit quàm plurimos viros doctiſſimos, Theologiæ, & Sacrorum Canonum peritos. Ex Societate recenter confirmata aſſumpſit duos è primis Decemviris, qui Theologorum Pontificiorum titulum, & munus gererent, Jacobum Lainium, & Alphonſum Salmeronem Hiſpanos, ſcientia magis, & virtute, quam ætate provectos. Nam Lainez vix quartum, Salmeron alterum, ſupra trigeſimum agebant annum. Nè verò vel ætatis fervore, vel ſcientiæ præſtantia, vel muneris excellentia, aut hominum plauſu evaneſcerent, & extra religioſæ humilitatis ac modeſtiæ ſepta abriperentur, Sapientiſſimis illos monitis, & præceptis ſcriptò traditis, inſtruxit

S.

Digitized by Google

S. Pater Ignatius. Tria, inquit, omnino in obeundo munere iſto ſpectare vos volo. Primùm in ipſo Concilio maximam DEI gloriam, communéque Eccleſiæ bonum, deinde extra Concilium antiquum veſtrum juvandi animas inſtitutum, quod quidem potiſſimùm nobis in hac profectione veſtra propoſitum eſt. Denique domi, & inter vos privatam animi veſtri curam, ſtudiúmque, nè vos ipſos negligatis, ac deſeratis, ſed aſſiduâ vos culturâ ac diligentiâ, quotidie magìs reddatis idoneos ad ſuſtinendas impoſitas partes. Et in Concilio quidem decet vos in loquendo tardiores eſſe, in audiendo attentos atque ſedatos, in perſpicienda mente eorum, qui dicunt, ſagaces. In diſputationibus monumenta rationum in utramque partem afferenda erunt, nè veſtro addicti judicio videamini, perpetuò id curando, nè quis unquam ex veſtra oratione minùs æquus placatúsque diſcedat: omnibus vos æquos eſſe convenit, nemi-



Digitized by Google

ni obnoxios. Jam verò extra Concilium nullum munus bene merendi de proximis prætermittentis, quin aucupandæ occaſiones erunt, modò audiendi pœnitentes, modò dicendi ad populum, modò inſtruendi pueros, & rudes, denique viſendi, & fovendi ægrotos in noſocomiis, non modò idoneis ſermonibus, ſed etiam quibusdam pro facultate veſtra munuſculis, omnes autem in omni occaſione cohortandi, ut pias ad DEUM fundant preces, pro felici Sacræ Synodi progreſſu ac exitu &c. - - Reſtat tertium, quod in munere iſto pro dignitate gerendo, ſpectare vos convenit, quod quidem in vobis ipſis tuendis conſervandiſq; poſitum dicebamus. Quanquam enim vos non ignorare neceſſe eſt, quæ Profeſſionis ſunt veſtræ, tamen hoc inprimis meminiſſe æquum eſt, ut ſumma ſit inter vos animorum conſpiratio, mutua conſiliorum omnium ſententiarúmque Societas, néve ſuo quiſquam judicio prudentiæque præſidat. - -

Ho-

Digitized by Google

Horam aliquam de nocturnis dicabitis, tum cujuſque diei actis inter vos conferendis, tum quæ poſtridie videbuntur agenda. Deinde quo majore vos, & humilitate, & mutua charitate contineatis: rogabit quisque ſingulis noctibus alternatim reliquos Socios duos (nam & Jajus illis acceſſurus erat) ut ipſum corrigant, & ubi viſum fuerit, libera oratione caſtigent, nec caſtigantibus cauſam facti reddet, niſi poſtulatus, & juſſus. Matutinis temporibus, quemadmodum per diem vos gerere oportet unà deliberabitis, rationémque vitæ veſtræ quotidie ſemel atque iterum à vobis ipſi repoſcetis. Hæc autem quinto ſaltèm, poſtquam Tridentum perveneritis, die executioni mandanda memineritis. *Ità S. Pater.* Quia verò his ſapientiſſimis, & opportuniſſimis monitis ac præceptis, boni illi Patres ſe ſuáſque actiones ſumma diligentia atque humilitate conformare ſtudebant: DEUS, qui humilia reſpicit, tantam illis tam in dicendo,

 quàm

quàm agendo dedit gratiam: ut apud omnes ſummam meruerint æſtimationem, amorem, & honorem, prout ſuprà ſæpiùs expoſitum. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 5. n. 23.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Mindanai in Philippinis an. 1655. P. Alexander Lopez, Hiſpanus, & P. Joannes Montiel Italus in odium fidei cæſi, juſſu Coralati, barbari Regis. Cùm enim miſſi eſſent, ad commonendùm illum, ut ſecundùm pacta conventa permitteret in ſua ditione liberum Chriſtianæ religionis exercitium, & Pater Alexander, pro veteri, quæ ipſi cum Rege intercedebat, confidentia modeſtè urgeret, ut ipſe quoque ei religioni accederet, parum abfuit, quin illico necarentur à furibundo. Digreſſi ex aula, & paulò pòſt ad illam revocati, in via lanceis confoſſi occubuerunt, diſertè fatente Coralato, eos à miniſtris ſuis trucidatos, quòd ſuſcipiendæ fidei Chriſtianæ authores fuiſſent.

3. Ru-

3. Ruremundæ in Belgio, annô 1630. P. Arnoldus Cathius, Belga, Vir multæ ac ſolidæ pietatis. Nulla illi hora præterfluebat, qua Chriſti Patientis myſterium aliquod non recoleret, & congruis affectibus non veneraretur. Zelus Charitatis non ſemel illum impulit ad operam præſtandam peſte infectis, cujus pretium non ſemel tulit, & ipſe eadem infectus. Poſt ſtrenuos in Hollandia labores, pepigit cum germano ſuo, ut qui prior migrâſſet è vita, alteri impetraret celerem obitum, ſi id ejus congrueret ſaluti. Obiit frater 18va Octobris, ſecutus eſt hac die P. Arnoldus.

4. Olomucii in Moravia, an. 1655. P. Gaſparem Hildebrandum, Sileſium, dum charitati ſuæ nimiùm indulget erga contagioſa lue correptos, mors venenata, ſed glorioſa, ſuſtulit.

## XIV. DECEMBRIS.

I. P. Carolus Spinola capitur in Japonia ab apparitoribus, annô 1619. Media nocte poſt feſtum S. Luciæ

ciæ V. & M. diem, audit à ſatellitibus gubernatoris Nangaſachi effringi fores domûs, in qua hoſpitabatur, faciléque aſſecutus id, quod erat, ad orandum, & ſeſe in holocauſtum DEO offerendum, compoſuit. Sic deprehenſo injecta ſunt vincula, collum, manus, pedéſque tám arctè adſtricti, ut veſtigia vulnerum, quoad vixit, ſuperfuerint. Nangaſacho paulò pòſt amandatus cum aliis aliquot captivis Chriſtianis, inter quos nonnulli Religioſi, ex SS. Dominici, & Franciſci familia, in famoſum Omurenſem carcerem conjectus eſt. In quo cùm inveniſſet alios quoſdam ſibi notos Religioſos, in dulciſſimos ruerunt omnes amplexus, Pſalmis, & hymnis decantatis DEO, quòd contigiſſet aliquid pati pro ipſo. Teſtatus eſt affectus ſuos P. Carolus in variis ad Socios datis epiſtolis, præſertim ad quendam Macai, in inſula Sinenſi, degentem. Ecquando ô DEus meus, inquit, hoc ego beneficium meritus ſum, ut dignus efficerer, pro Nomine JEſu contumeliam pati? O bene

collo-

Digitized by Google

collocatos labores meos, quos itinere tam longo, ex Italia in Japoniam tuli! O bene remuneratos dolores, præſertim illos, qui tyrannidis hujus ſævientis temporibus tolerati ſunt &c. Et ad alium è Societate in Japonia, datâ epiſtolâ; Tandem, inquit, venit hora mea, atque ut clarè mihi innotuit voluntas Numinis, ità divina ejus Bonitas ſperare me jubet, non egreſſurum me hoc carcere, niſi ut in cælum mittar. Quare conſolationibus ſuperabundo ob tam felicem conditionem, quæ mihi obtigit. Utinam ità Domino placeat, ut hinc non egrediar, niſi ad moriendum, aut ad Evangelium libere diſſeminandum! O mi Pater, quàm liberaliter mihi Dominus labores meos omnes, vel hac gratia, compenſavit, quòd amore illius captus ſim! O Pater, quàm ſuavis, & delicioſa res eſt, pro Chriſto pati! Id ego, ex quo in hunc carcerem veni, liquidius experior. *Eabius Spinola in Vita P. Caroli.*

Eo-

Digitized by Google

## *Eodem die obierunt.*

2. Apud Elicuranos in America, an. 1621. odio fidei cæſi, P. Martinus de Aranda Valtivia, Hiſpanus, P. Horatius Vecchi, Italus, & Didacus Montaltus, Indus, Coadjutor. P. Martinus perilluſtri domo natus, militaribus exercitiis in Equitum ducem evaſerat, dúmque ſe per Exercitia S. Patris pararet ad capeſſendum munus Prætoris, animum cælitus illuſtratum adjecit ad Societatem, in qua magnô zelô variis populis barbaris ſalutarem præſtitit operam. Cæſo inprimis Fratre Didaco, Patres Martinus, & Horatius, clavis ferreis proſtrati, haſtiſque confixi, arboribus ſunt alligati, mox diſſecto pectore, cor illis evulſum, ipſi tamen per quartam horæpartem Chriſtum prædicâſſe traduntur.

3. Romæ annô 1615. P. Petrus Antonius Spinellus, Italus. Parvulus ſeptennis inter ducalis domûs illecebras virginitatem DEO vovit, octennis noctu ad recitandum DEIparæ V. officium

cium conſurgebat. Docentis in ſchola, & S. Synaxim diſtribuentis vultùm ac pectus viderunt non pauci cæleſti lumine illuſtratum. Viſus quoque JEſum Parvulum in ſacra pyxide circumferre. DEIparæ V. totus addictus, ejus dotes, & laudes præclarô ingeniô, & eruditô calamô eſt proſecutus, in ejus Domo Lauretana ſubinde geminas noctes pervigil duxit in oratione, ut aliquid honoris à ſe averteret. Interiore veſte una, an centone potiùs, annis 18. uſus eſt, pro lectulo terrâ, vel aſſere nudo.

## XV. DECEMBRIS.

I. P. Melchior Carnerius Goæ conſecratur Epiſcopus Nicænus, annô 1560. Quamvis enim pro ſua religioſa humilitate, vehementer cuperet vitam in Societate agere privatam, & ſuperioribus religionis ſubjectam, urgente tamen Pontificis mandato, ut, quàm primùm Epiſcoporum trium haberetur copia, conſecraretur, & inſtante Patriarcha Æthiopiæ Oviedo,

Digitized by Google

do, quem ſequi debebat, conſecratio differri non poterat. Appulit enim Archiepiſcopus primus Goanus, & cum eo Epiſcopus Malacenſis, aderátque Patriarcha Æthiopiæ. Cùm igitur honorem, & onus declinare non poſſet P. Melchior, ad ſuum ſolatium, & ad majorem cum Societate conjunctionem, votô ſe obſtrinxit, non ſolùm ſe Societatis conſiliis obtemperaturum, verùm etiam iterum in ea Profeſſionem ſolemnem emiſſurum, cùm primùm id à Pontifice impetraret. *Sacch. hiſt. Soc. p. 2. lib. 4. n. 278.*

2. Romæ annô 1638. Urbanus VIII. Pont. Max. Indulgentiam Plenariam conceſſit viſitantibus Eccleſias Societatis JEſu, ac Communione Euchariſtica refectis in feſto S. Xaverii, cum translatione Indulgentiæ, quando feſtum prædicti Sancti occurrit prima Dominica Adventûs. *Bullar. Conſtit. 256. Urb. 8.*

*Eodem die obierunt.*

3. Forlivii in Italia, annô 1589. P. Marcus Antonius Muſtoni, Italus, pietate, ſilentio, paupertate, & obedientia inſignis. Mortem obiit non improviſam. Redux enim ab ægra fœmina, quam diſpoſuerat ad mortem, dixit Socio: Illam quidem ex eo morbo non obituram, ſibi autem paucis poſt diebus eſſe migrandum: & migravit plenusq; gaudii, quod ſuavi cantu teſtabatur.

4. In monte S.Gothardi annô 1654. P. Thomas Werner, Germanus, populo, militi, noſtris, gratus Eccleſiaſtes, Confeſſarius, Superior. Vir ad ardua quæque aggredienda, & exequenda æquè fortis ac induſtrius. Admotis tumidæ ſuæ tibiæ S. Xaverii lipſanis, & Orientalium Indiarum petendarum voto concepto, ſurrexit è lecto, tibiâ ſanâ. Sed heroicum votum exequi non potuit, in itinere decidentibus è monte nivium voluminibus oppreſſus.

5. Pa-

Digitized by Google

5. Palentiæ in Hiſpania defunctus, annô 1595. P. Antonius de Torres, Hiſpanus, hoc die ponitur à P. Nadaſi. In Indiis, & Hiſpania magno fructu explicuit zelum ſuum Apoſtolicum. Pluribus in locis inſtituit, ut ſextâ quavis feriâ hiſtoria ſeu exemplum aliquod pium narraretur, & pia flagellatio fieret. Palentiæ cùm Rector eſſet Collegii, ac extra urbem ægrum pauperem, qui urbem ingredi non poterat, reperiſſet, illum in humeros ſublatum, per urbem ad Xenodochium deportavit. Ibidem Sodalitatem Charitatis inſtituit, in quam ferè nobiliores adlegit, pro adjumento pauperum verecundorum. Per 4. horas orabat quotidie. A concione ſudans, cilicium exuebat, ſed aliud non minùs aſperum induebat. Licèt tardiùs circa meridiem à concione rediret, poſitis humi genibus, plenum horæ quadrantem de genibus dabat examini Conſcientiæ. Cùm aliquando de Inferno ad concionem diceret, multis viſus eſt Angelico vultu, magno ſplendore collucens.

6. In

Digitized by Google

6. In Polonia latè graſſante lue contagioſa, annô 1631. præclaram nacta eſt Societas occaſionem Apoſtolicæ charitatis Spiritum exercendi. Gedani hoc die, inter ſtrenua obſequia peſtiferis exhibita, occubuit P. Nicolaus Piwnicki, Prutenus, cùm Sociis undecim alibi, variis menſibus ſublatis.

## XVI. DECEMBRIS.

I. S. Xaverius annô 1557. Malacâ ſcripſit Goam ad PP. Paulum Camertem, Joannem Beiram, & Antonium Criminalem, ut hi duo poſteriores quantocyus proficiſcerentur in Promontorium Comorinenſe. Paulo verò Camerti ſolicitè commendat curam Domûs Goanæ, ſpecialiter autem ſubjectionem omnem erga ſuperiores. Paulo Camers, inquit, Chariſſime multùm oro te per, quo JEſum Chriſtum proſequeris, amorem, ut acriter invigiles utilitatibus, & conſervationi domûs iſtiuѕ. Ante omnia tibi etiam atque etiam commendo, ut plenam perfectámque exhibeas obedientiam iis qui

qui ejus domûs qualemcumque Præfectúram exercent. Sic habe : nihil te ulla in parte mihi gratius, nihil poſſe jucundius facere: quàm ſi plenè ad nutum ipſis obtemperes. Equidem ſi iſthìc eſſem, nihil, nè minimum quidem, facerem contra, vel præter authoritatem, & voluntatem eorum. Opto, ac ſpero, DEum intimo in animam tuam afflatu inſpirationis ſuæ perſuaſurum tibi penitus, nulla te re majorem inire abs ſe gratiam poſſe, plúſque ad ſuum obſequium laudémque conferre, quàm ejus amore abnegando tuam propriam voluntatem &c. *Ex Epiſt. Veter. lib. 5. epiſt. 8.*

2. Romæ annô 1602. habita eſt Congregatio, & diſputatio XII. de Auxil. Grat. coram Clemente VIII. Collatæ ſunt Concluſiones duæ Caſſiani, cum doctrina Molinæ. Prima: *Quòd DEus quodammodo occaſiones quærat, & expectet, ut datio, & largitio ſuæ gratiæ rationabilis videatur.* Altera: *Homo in natura lapſa ſufficientes habet vires ad reſiſtendum gravibus tentationibus, & ad*

*ad ſuperanda ſingula difficilia.* Ad primam reſpondit P. Arrubal: In Molina nihil tale reperiri; nec verba *expectandi*, & *quærendi*, haberi in locis ex ipſo allegatis. Deinde Caſſianus per occaſiones illas intelligit *Actus naturales*: à quibus alienus eſt Molina. Ad ſecundam repoſuit: Caſſianum docere: hominem per vires naturales poſſe ſuperare multò tempore tentationes graviſſimas, quales S. Job ſuſtinuit; quod non docet Molina. *Fleuth. hiſt. de Auxil. lib. 5. cap. 16.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Panormi in Sicilia, annô 1614. P. Vincentius Regius, Italus. Inter cæteras virtutes ejus eximia elucebat oculorum modeſtia, qua à blandioris ſexûs aſpectu ſeverè abſtinebat. Unde, cùm quiſpiam ſororis ejus Sanctimonialis effigiem ipſi offerret, rogarétque: an illam ſatis referret? reſpondit: Se id neſcire; quippe qui illam nunquam aſpexerit. S. P. Ignatium Præcipuo cultu venerabatur, ſcilicet accu-

Digitized by Google

accuratiſſimâ regularum obſervantiâ, ideóque dicitur conſpectum ejus meritus in morte.

4. Romæ annô 1624. P. Franciſcus Sacchinus, Italus, Hiſtoricus Societatis, & Secretarius quàm diſertus, tam accuratus, & religioſus. Ut ſatìs temporis haberet pro aſſiduis laboribus ſuis, ſolicitè cavebat, nè minimum quid illius perderet. Unde P. Mutius, Præpoſitus Generalis, dictitabat: Sacchinum, ne unicam quidem temporis unciam perdere. Eadem ſolicitudine verſabatur circa paupertatem religioſam, tum quòd eam à S. Patre in Matrem commendatam ſciret, tum quòd velut in gremio ejus natus eſſet. Patrem enim habuit agreſtem, & mulionem, quo tamen ille gloriabatur, & quoties ad Collegium Romanum veniebat, digitô eum monſtrabat Sociis P. Franciſcus dicens: En patrem meum. A ſacro redux, obvio P. Generalis adminiſtro Coadjutori dixit: Iret, ac Patri Generali diceret: ſe ad valetudinarium ire, & brevi moriturum. Ivit, & quarto die religioſè deceſſit. 5.

Digitized by Google

5. Placentiæ annô 1644. Laurentius Ortegâ, Coadjutor, Hiſpanus. Ægrotos accuratiſſimâ curâ fovebat, præſertim ſenem quendam Patrem per annos quinque. Idem Pater poſt mortem convenit Fratrem Laurentium læta ſpecie, eúmque amanter àmplexus, gratias egit pro tam effuſis diuturnæ charitatis officiis, monuítque, ut conſtanter pergeret in eo officio: DEO enim id valde gratum eſſe, denique dato ipſi in fronte pacis oſculo, videri deſiit. Illud in eodem Fratre mirandum occurrit, quòd jam indè à puero, nunquam ſitierit (nisì in extremo morbo) adeóque nec biberit, cùm experiretur id ſtomacho ſuo valde officere.

## XVII. DECEMBRIS.

I. GOæ in India celebratæ ſunt an. 1557. magnificæ exequiæ S. Patri Ignatio, cui & Xaverium, & omnes, à quibus exculta eſt, & excolitur, debet India operarios. Interfuere Prorex, & honeſtiſſimi Luſitano-

rum, ſacrum fecit Patriarcha Æthiopiæ Andreas Oviedo, Conſalvus Silveria pro concione virtutes, & egregia S. Patris facta, quantúmque illi orbis terrarum, & India nominatim, deberet, gravi oratione explicavit. *Sacch. hiſt. Soc. p. 2. lib. 1. n. 149.*

2. Coloniæ in Germania annô 1556. attributum eſt Societati trium Coronarum Collegium. Cùm enim Leonardus Kleſſelius cum aliquot Sociis habitarent in domo conductitia, & ſatis incommoda; fructus autem facerent plures, quàm pro numero operariorum: complures viri probi, & docti vehementer optabant, ad conſervandam Religionem, ſuſtinendúmque Academiæ ſplendorem ſuſcipi à noſtris munus docendi. Evenit autem opportunè, ut Regens unius è tribus gymnaſiis, quæ in urbe erant præter Academiam, relegandus eſſet, quòd Lutheranam ſpiraret hæreſim. Vacans ergo Rectore Collegium Societati conſignatum eſt, quod trium Coronarum dicitur, nomine impoſito ab inſigni-

bus

Digitized by Google

bus Urbis Colonienſis, quæ tres repræſentant Coronas. Sed quia negotium cum oneroſis Societati conditionibus tranſactum erat, alia deinde ædes pro Collegio comparata eſt cum debita immunitate. *Orlandinus hiſt. Soc. p. 1. lib. 16. n. 26. Sacchin. p. 5. lib. 2. n. 163.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Ingolſtadii in Germania an. 1608. P. Paulus Hoffæus, Germanus, hæreticorum expugnator acerrimus, & fidei Catholicæ propugnator ſtrenuiſſimus. Unde de ipſo, & P. Petro Caniſio, uſurpabat ſapientiſſimus Bavariæ dux Albertus, quod Eccleſia canit de Principibus Apoſtolorum: *Petrus Caniſius, & Paulus Hoffæus, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine.* Maximis muneribus par, in Societate præclarum egit Rectorem, Provincialem, Viſitatorem & Aſſiſtentem, quatuórque interfuit Congregationibus Generalibus. Animabus defunctorum juvandis addictiſſimus, ſæpe illas habebat ad portam cu-

cubiculi ſuffragia petentes: ideóque Juvenes noſtros, ſi videbat eos aliquid ultra conceſſa ſibi indulgentes, blandè monebat: *Venietis, & vos aliquando ad me pro ſuffragiis.* Poſt mortem viſus eſt unà cum P. Claudio Aquaviva, ſpecie decora glorioſus.

4. Compluti in Hiſpania annô 1625. P. Joannes Suarez, Hiſpanus. Aſſidua ejus in mente, & corde occupatio erat, gratulari DEO de omni eo, quod eſt, & quaſi aſſiduis in eum rapi amoris actibus. Cuidam familiari ſuo faſſus eſt, ſe perſæpe ad ſingulos paſſus elicere unum actum Amoris Divini. Nec loquebatur, niſi ferè de DEO, ab aliis colloquiis dextrè ſubducere ſe ſolitus. Cùm quidpiam durioris imperii aliquando à Superiore expectaret, atque ab eo abhorreret, illico ad Ven. Sacramentum ſe recepit, & voto ſe obligavit, ad nullam excuſationem prætendendam. Et præſtitit, licèt res eſſet valde ardua, & cum inſigni ejus deſpicientia conjuncta. Sed victoriæ tam inſignis opulentum pretium tulit, quip-

pe

pe per annos 12. poſtea magnis, & miris à DEO gratiis, & ſolatiis cumulatus.

5. Glattoviæ in Boëmia, annô 1648. P. Georgius Pelinga, Moravus, ardens Verbi divini prædicator, & in Miſſionibus, præſertim Caſtrenſibus ſtrenuus ac felix operarius. Laus ejus non ſolum Boëmiam impleverat, & Moraviam, ſed Romam delata, ſingulare à P. Præpoſito Generali obtinuit encomium. *Ex Tannero.*

## XVIII. DECEMBRIS.

I. S. P. Ignatius annô 1594. juſſu DEIparæ V. præclaram de ſtudio Humilitatis ſolidæ exhortationem dixit S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Ordinis Carmelitarum. Spectandam enim ſe illi præbuit Virgo Mater media inter Sanctos Ignatium, & Angelum Martyrem Carmelitam, juſſitque Ignatium inſtruere Magdalenam in ſtudio Humilitatis, Angelum in exercicio religioſæ Paupertatis. Exhortationem S. Ignatii, prout ab ipſa Sancta eſt relata, exhibet Bartolus in Vita

S. Ignatii lib. 4. n. 5. atque indè concludit: quàm perfectus fuerit Ignatius in Humilitate; ſiquidem ipſum ſpecialiter delegit Virgo DEIpara in Magiſtrum ejuſdem virtutis, eíque tam capacem, & præclaram commiſit diſcipulam.

2. Annô 1576. Gregorius XIII. Præpoſito Generali Societatis facultatem conceſſit, ut accepta debita informatione, poſſit quæcunque bona domorum, & Collegiorum Societatis alienare in evidentem ejuſdem utilitatem, per ſe, vel per alios, vendendo, aut permutando, abſque alia à Sede Apoſtolica, vel ejuſdem Legatis, aut Nunciis, petita licentia. In Emphiteuſim autem poſſit tradere ad tres generationes. *Bullar. Societ.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Gracoviæ in Polonia, annô 1629. P. Adamus Gorski, Roxolanus. In Sacrificio Divino conficiendo, & Horis Canonicis perſolvendis ad ſtuporem accuratus, dicere ſolebat: *O quàm*

*igne-*

*ignorant Sacerdotes, quantas delicias habeant in opere iſto!* Coram SS. Sacramento plures horas ducebat, ſaxi inſtar immotus. Chariſſima ei erat Regula, qua jubemur in omnibus noſtri mortificationem quærere. Unde corpus ſuum nunquam permittebat acri aliquo dolore carere, præcipuáſque ejus partes in menſes diſtribuebat, ut ſingulis menſibus aliud aliúdve cruciaretur membrum. Pro generali Sanctæ vitæ regula ſibi præſcripſerat: *Ità vivere, ſicut in tertio Probationis anno vixerat.* Teſſeram ſui erga DEUM affectus, hanc ſcripto reliquit: *Iuro, Domine, ac teſtor: quòd nihil velim, niſi maximam gloriam Nominis tui, & maximam confuſionem faciei meæ.* Theologiæ docendæ ſe accingentem Cracoviæ, mors omni apparatu ſancta occupavit.

4. Ingolſtadii in Germania, annô 1648. P. Sebaſtianus Schaller, Germanus. Incredibili legum noſtrarum obſervantiâ inſignis: tanto lucrandarum animarum zelo æſtuabat, ut voto con-



Digitized by Google

concepto promiſerit, ſe vitam, quaqua liceret, illis lucrandis impenſurum. Et impendit, quando in obſequio peſtiferorum nobilis cecidit victima charitatis.

## XIX. DECEMBRIS.

I. P. Robertus Bellarminus herì renunciatus Rector Collegii Romani annô 1593. ubi ex mœrore, ob impoſitum onus honorificum, collegit animum vir humillimus, formam regiminis ad normam Sacrarum literarum, legúmque Societatis ſibi præſcripſit, concinnavítque Adhortationem ad Socios habendam, ex illa Eccleſiaſtici ſententia cap. 32. *Rectorem te poſuerunt? Noli extolli: eſto in illis quaſi unus ex ipſis -- & non impedias muſicam.* Cui divino monito ità conformavit gubernationem ſuam, ut poteſtate authoritatéque Superior, humilitate eſſet omnium infimus, congrua ſuavitate temperaret diſciplinæ rigorem, & non animorum duntaxat, verùm, & corporum paternam haberet curam. Talem

lem

lem dum ageret Rectorem, meruiſſe viſus eſt, ut aſcenderet ſuperiùs, & quidem paſſu velociore. Nondum enim exacto gubernationis Collegii triennio, juſſus eſt Provinciæ Neapolitanæ curam ſuſcipere; quam ſummâ prudentiâ, & charitate gubernavit, donec poſt mortem Card. Toleti à Clemente VIII. evocaretur, ut illius locò munus Theologi Pontificii ſubiret. *Petraſancta in Vita lib. 2. cap. 10.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Granatæ in Hiſpania, annô 1610. P. Joannes de Torres, Hiſpanus. Si quod animæ alicujus lucrum ſperaret, ab eo nulla illum occupatio, nulla corpori adverſa valetudo, nulla alia difficultas avertere valebat. Fama eſt, dæmonem cuidam authorem fuiſſe, ne cum illo ſuo inimico (ità P. Joannem appellabat) aliquid negotii haberet. Dies totos pro ſacro pœnitentiæ tribunali inſumebat, noctes verò meditandis divinis dabat. His intentum cùm mors impeteret, *Nunquam exiſtimâſſem,*

 in-

Digitized by Google

inquiebat, *mori, rem tam dulcem eſſe, nec dubito, hanc eſſe vocationis gratiam.*

3. In Hollandia, annô 1620. P. Petrus de Hollandre, Belga. Cùm morti ſe vicinum adverteret, eâdem, qua mortuus eſt die, ſcripſit ad Præpoſitum Provincialem, ſe proteſtari, quòd ex ea, quam ſemper coluiſſet, voluntatis ſuæ cum Superiorum voluntate conjunctione, tantum per omnem vitam in Societate actam, jucundiſſimæ ſolidiſſimæque voluptatis hauſerit, quantum omnes mundi deliciæ conferre non poſſunt. Ingenio erat ad ſumma omnia experrecto, exquiſitè obſervans legum, & privatæ pietatis exercitiorum, ità: ut etiam extremo vitæ ſuæ die, obſervatus ſit ad horologii campanæque ſonum attendere, ut diſtributorum in horas Crucifixi myſteriorum meminiſſet.

## XX. DECEMBRIS.

1. S. Ignatius iterata apparitione recreat matronam afflictam. In valle quadam Pedemontana, Lanzus dicta

dicta, graſſabatur an. 1626. ingens luporum copia; qui inſolita rabie etiam in homines ſæviebant. Ad illos abigendos, oppidani novemdialem decreverunt ſupplicationem, ad Sacellum S. Ignatii inſtituendam. Auditi ſunt, lupíque turmatim diffugerunt. Hoc Sancti præſidio excitati alii ejuſdem vallis incolæ, cùm lues peſtifera ſtrage magna deſæviret in pecora, ad eundem Sanctum recurrerunt, edito voto, de ſacra æde illi excitanda in proximo monte, ex veteris caſtri ruderibus. Nuncupato voto, ceſſat ſtrages, ægra ſanantur animalia, difflatur omnis peſtifera lues. Ergo populus voti reus, ſacellum extruit, quod confeſtim magno viciniæ concurſu, ſingularíque pietate celebrari cœpit. Nec defuit Sanctus ſupplicum precibus atque ſolatio. Mulier, Thomæ Muſſani conjux, cujus filium fœdâ herniâ laborantem ſanârat, perſolutura preces voto promiſſas, dum convertit ad montem, in quo ſacellum erigebatur, oculos, videt S. Patrem cæleſti fulgo-

 re

re circumfuſum, inſidentem ſaxo elatiori, amœniſſimo vultu amabilem. Recurrit ad Parochum ſuum, viſumque enarrat. Ille jubet eam inſiſtere precibus, & ſumptâ ſacrâ Euchariſtiâ, diligentiùs Sancto ſe commendare. Interim gravi mœrore obruitur mulier, è quo ut emergeret, iterum oculos levavit in montem, nec defuit indè auxilium illi. Iterum vidit eodem in ſaxo Sanctum, cujus aſpectus mœrorem omnem momento diſcuſſit, animum ſerenavit, & miris demulſit dèliciis. Unde mirum in modum circumjacentibus in oppidis, & pagis crevit S. Ignatii cultus, ædificatis Sacellis, & aris, inſtitutis jejuniis: & in ejus anniverſaria feſtivitate ſolemnis veneratio. *Bartolus in Vita lib. 5. n. 99. & 100.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Goæ in India Orientali, an. 1562. P. Joannes Nunnez, Luſitanus Æthiopiæ Patriarcha. Deliberanti de vitæ ſanctioris ſtatu ineundo, ſpectandam ſe præbuit DEIpara V. comitibus P. Petro

tro Fabro, & Franciſco Strada è Societate JESU, quæſivitque ex Joanne: *Vis ſervire Filio meo uſque ad defatigationem?* Annuente ipſo. *Sequere ergo hos viros*, ſubjunxit DEIpara, & videri deſiit. Incidit paulò poſt Joannes Conimbricæ in P. Petrum Fabrum, agnovítque illico, eum eſſe ipſum, quem nuper DEIparæ comitem viderat, cùmque Faber eum alloqueretur iisdem illis verbis, quibus DEIpara: *Vis ſervire Chriſto uſque ad defatigationem?* Societati conſtanter ſe addixit, & poſt præclara non vulgaris virtutis documenta meruit Æthiopiæ dari Patriarcha, quam dignitatem egregiis dotibus ornavit.

3. In Sicilia, annô 1592. P. Hieronymus Domenecus Hiſpanus. Societatem in Sicilia præclarè provexit, eíque præfuit magna laude benigni Patris, accurati Superioris, periti medici, ità: ut Siculæ Societatis Angelus diceretur. Orandi ſtudium tanti fecit, ut diceret: Etiam S. Franciſcum ab illa Sanctitatis ſuæ eminentia prolapſurum fuiſſe, ſi non hoc præſidio ſe

ſu-

ſuſtentâſſet. Veſperi cubitum concedendo ità ſe ſe componebat, quaſi re vera nocte iſta eſſet è vita migraturus.

4. Calari in Sardinia, annô 1623. Franciſcus Hortulanus, Coadjutor, Hiſpanus. Cùm primùm ex utero matris egreſſus eſt infans, mox junctis inſtar orantis manibus, clara voce, & diſtinctè pronunciavit: MARIA, MARIA, prout mater, & obſtetrix ſanctè ſunt teſtatæ. Et vixit ſemper addictiſſimus cultui DEIparæ V. raris favoribus ab ipſa dignatus. Cùm ægro cuidam noſtro amanter, & accuratè ſerviret, vidit Chriſtum Crucifixum brachia in amplexum ſuum protendentem, audivítque, nunquam ſe ab illo deſerendum.

## XXI. DECEMBRIS.

I. FEſtum S. Thomæ Apoſtoli admonet Societatem vaticinii, quo prædixit, eam olim in vaſtiſſimis Indiæ Orientalis regionibus, quas Chriſtiana fide atque legibus excolebat, laboraturam. Erectæ enim columnæ, vel ùt alii volunt, Cruci, prope Melia-

po-

porem, Choromandelis regni metropolim, in loco milliaribus 15. diſtante ab Oceano, inſcripſit: Cùm mare eò perveniſſet, venturos in Indiam homines albi coloris, ad reſtaurandam Fidem, & Religionem, quam ipſe prædicabat. Eventus vaticinio fidem fecit, cùm enim Vaſcus Gama primùm in Indiam appulit, mare pedem illius Crucis, ſeu columnæ, lambere cœpit. Secutus non multò pòſt Xaverius cum Sociis, prædictionem cumulatè implevit. *Bartolus in Vita S. Xav. lib. 1. n. 25.* Unde patet, S. Thomam Apoſtolum etiam eo nomine rectè appellatum fuiſſe Didymum: Joan. 2. quòd in Apoſtolatu Indico geminum habiturus eſſet Xaverium.

2. Etiam in India Occidentali, ſeu America, prædicâſſe S. Thomam Apoſtolum, non obſcura demonſtrant veſtigia, quæ repererunt Noſtri, in terras illas appulſi. Inter cætera, fama fuit, ſparſa per Paraquariam, vaſtam Americæ regionem, prædixiſſe illum: Poſt multa ſecula Sacerdotes, ejuſdem

DEI

DEI cultores, ſibi ſucceſſuros, qui eadem, quæ tunc ipſe, poſteros docerent, quíque ùt ipſe, Cruces manu geſtarent. Poſtquam igitur Socii illuc delati ſunt, viſæ in manibus ipſorum Cruces fidem fecerunt, ipſos eſſe illos, quos Apoſtolus prædixerat venturos. *Imago Soc. 1. Sec. lib. 1. cap. 2.*

3. Eidem S. Apoſtolo templum magnificum Goæ excitari à Prorege Conſtantino, curavit P. Conſalvus Silveria, poſt expeditionem Damanenſem feliciter abſolutam, ut regiones ſanguine ſuo tinctas, veræ fidei lumine iterum illuſtraret, protegerétque recentes Evangelii prædicatores. *Sacch. hiſt. Soc. p. 2. lib. 3. n. 13.*

## *Eodem die obierunt.*

4. Romæ annô 1577. P. Joannes Polancus, Hiſpanus. S. Patri Ignatio valde utilem præſtitit operam in gubernanda, & provehenda Societate, vir non minùs Religioſus, quàm prudens ac doctus. Quamvìs autem, tanquam publico Societatis Secretario, ingens

Digitized by Google

gens negotiorum congeries incumberet, concionibus nihilominus, ſacríſque lectionibus ſimul operam dabat, idémque, & Doctrinæ Catecheticæ, & Procuratoris Generalis officium adminiſtrabat, nec à culinæ, tricliníjque muneribus erat immunis. Eandem operam præſtitit S. Patris ſucceſſoribus, Jacobo Laynez, & Franciſc. Borgiæ, erátque maximè mirandum, quòd in tam variarum maximarúmque occupationum concurſu, Polancus eodem ſemper eſſet vultu, eandémque animi ſerenitatem præferret ſemper. Poſt obitum S. Franciſci Borgiæ præfuit Societati, & Congregationi Generali III. ùt Vicarius Generalis, denique Viſitatione Siciliæ laudatè perfunctus, vita quoque religioſiſſima defunctus eſt. *Sotuell. in bibl. Soc.*

5. Friburgi in Helvetia, annô 1589. P. Petrus Caniſius, Belga, magnum rei Catholicæ columen in Germania, infractus hæreticorum malleus, à quibus præclaro ſcommate appellabatur *Canis Auſtriacus*; quòd Ferdinandus Cæſar illo

illo potiſſimùm uteretur ad varias contra ſectarios expeditiones, à Catholicis verò paſſim elogio *Germaniæ Apoſtoli* honorabatur. Laboribus Apoſtolicis Italiam, Auſtriam, Bohemiam, Germaniam, ac potiſſimùm Bavariam excoluit, ut meritò de ipſo dicere conſueverit piiſſimus Bavariæ Dux Albertus: *Petrus Caniſius, & Paulus Hoffæus, ipſi nos docuerunt legem tuam Domine*, Poloniam quoque juſſu Pauli IV. cum Apoſtolico Nuncio inviſit, & Clerum præcipuè in fide confirmavit; à Pio IV. Pont. Max. ſpecialibus literis ad ipſum datis, laudatus, ut indefeſſus fidei zelator; à Gregorio XIII. Romam evocatus, ut collato conſilio Germania juvaretur, perſuaſitque Caniſius Pontifici optimo, ut Collegium Germanicum in Urbe ad incitas redactum, reſuſcitaret; quod ille præſtitit abunde. Apoſtolicum fidei zelum par comitabatur Humilitas, & Obedientia. Illa ſuadente infulas Viennenſes oblatas à Cæſare non admiſit; hac innuente, pari promptitudine, & aſcendebat ad ſublimia, & deſcendebat



Digitized by Google

debat ad ima, honoratus à DEO in vita, & poſt mortem multis naturam ſupergreſſis gratiis.

6. Cordubæ in Hiſpania, an. 1576. P. Franciſcus Gomez, Hiſpanus, vir planè columbinæ ſimplicitatis, & manſuetudinis, ſive cum externis converſaretur, ſive domeſticos gubernaret. Teſtata hanc ejus indolem candidiſſima Columba, quæ ipſo Pentecoſtes die ſuper ſacrificantis caput conſedit, & ſemel iterúmque abacta, rediit, donec ab æditùo in ſacrarium aſportata eſt.

7. Antverpiæ in Belgio, annô 1624. P. Joannes Iſenbrant, Belga, ad omnem Obedientiæ nutum mirè promptus. Quidquid demandaretur vel nutu Superioris, ſingulari alacritate reponebat: *Libenter*. Hauſto pridie ab ægris morbo ſublatus, cùm jam 8. horis in ſarcophago jacuiſſet, Frater verò, quo ſocio uſus erat, fortè illac tranſiret, audivit clarè, & diſtinctè allapſas è tumba, velut viventis P. Joannis, voces: *Libenter! Libenter! Libenter!* Viſus paulò pòſt à quodam Patre cæleſti

leſti ſplendore glorioſus, monuítque eundem de imminente morte, quæ brevì ſecuta eſt.

## XXII. DECEMBRIS.

I. IN Tranſylvaniæ Generali conventu, cùm herì annô 1588. in Societatem atrociter invecti eſſent Ariani, & Calviniani Pſeudo-epiſcopi, hodie in Conventum admiſſus P. Wujecus Provincialis cum aliquot Sociorum, ſolidè calumnias refellit, oſtendendo: quàm fideliter Societas operam ſuam inſtituendæ juventuti, juvandíſque Catholicis impenderit; quàm pacis ubique tranquillitatíſque,multas licèt vexationes perpeſſa, non ſtudioſa modò, ſed, & cuſtos fuerit &c. Egreſſis è templo, ubi Conventus agebatur, Patribus, Hæretica Nobilitas, quanquam multùm repugnantibus Orthodoxis, & ipſo Regni Theſaurario Acathòlico, Sombrio, mittunt libellum ad Principem, iterum flagitantes, ut è regno idololatria, & ejus propagatores Jeſuitæ, ejiciantur. Sed reſ-

reſpondit Sigiſmundus Princeps Bathoreus; nec Præceptores ſuos (à noſtris enim literis inſtitutus fuerat) nec homines ſibi à Patre, ac Patrono, Stephano Rege Poloniæ, commendatos, & à regno receptos, indictâ causâ, pelli abs ſe decere; cùm præſertim ejus religionis eſſent, quam ipſemet ſequeretur; & aliqui etiam non Catholici, affirmarent, eos regno opportunos eſſe, & ad ſuorum inſtitutionem liberorum retineri, poſtularent. Hæc tunc Sigiſmundus Princeps inſigni animi fortitudine, cui utinam conſtantia non defuiſſet. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. num. 53.*

2. Annô 1592. Clemens VIII. Decretum miſit Nuncio Apoſtolico in Belgium de confeſſione Paſchali facta religioſis, in quo hæc habentur: præſenti noſtro decreto ſancimus, licere ſecularibus, Chriſtique fidelibus univerſis liberè Miſſas diebus Dominicis, & aliis majoribus Feſtis audire in Eccleſiis tam Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, necnon etiam

etiam Collegiorum Societatis JEſu, juxta illorum privilegia, & antiquas conſuetudines, dummodo id in contemptum Eccleſiarum Parochialium non faciant; & tam dictis Fratribus Prædicatoribus, & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, peccata ſua, etiam Quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio tempore, confiteri licitè poſſe; dummodo tamen ſeculares Chriſti fideles Sacramentum Euchariſtiæ die feſto Paſchalis Reſurrectionis, in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant.

*Eodem die obierunt.*

3. Londini in Anglia, annô 1642. P. Thomas Hollandus, Anglus poſt ſtrenuos, & admodum fructuoſus labores, conſuetâ Sacerdotum Catholicorum carnificinâ, ſublatus eſt. Judex ipſe disertè pro tribunali faſſus eſt: nihil criminis habere P. Thomam, quàm quod

quod Sacerdos Catholicus eſſet. Auditâ capitali ſententiâ lætus reſpondit: *DEO Gratias*: in carcere verò Socios invitavit ad Hymnum Ambroſianum ſecum recitandum. Moriturus ajebat, ſe Catholicum eſſe Sacerdotem, & Jeſuitam, paratum autem, religionis causâ pro DEO ponere vel tot vitas, quot haberet capillos in capite, quótve in Oceano eſſent guttæ, & Perfectiones in DEO. Cæterùm in Converſatione cum externis, & domeſticis, tantâ pollebat gratiâ, & eruditione in ferendis Colloquiis ſpiritualibus; *ut conflatus è Spiritu, & Bibliotheca librorum Spiritualium*, diceretur.

4. Monachii in Germania an. 1634. P. Matthæus Raderus, Germanus Tirolenſis. Inſigni conſtantiâ. Rhetoricam docuit annis 22. ob excellentem peritiam, eruditionem, & elegantiam linguarum Atticæ, & Romanæ, à doctiſſimis id ætatis viris; Juſto Lipſio, Martino Delrio, Velſero &c. magnis encomiis celebratus. Memoriâ ſemper fuit vegetâ etiam in fracto laboribus

ribus corpore, moribus verò innocentiſſimis, & ſuaviſſimo agendi modo, è religioſa humilitate nato. Eruditionem viri ſingularem teſtantur volumina ab ipſo edita, præſertim ad illuſtrandos authores Græcos, & Latinos quosdam Claſſicos: Viginti duo recenſet. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXIII. DECEMBRIS.

1. IN Indiam Orientalen an. 1549. pervenerunt geminæ, à S. P. Ignatio datæ Epiſtolæ, quarum altera S. Xaverius nominabatur, Sociiſque præficiebatur Præpoſitus Provincialis per Indiam, & tranſmarinas regiones in Oriente, adeóqne tunc primum India facta eſt Provincia Societatis, diſtincta à Luſitana. Alterâ conferebantur Xaverio gratiæ omnes, & Privilegia à Sede Apoſtolica collata Præpoſito Generali Societatis. *Bartolus in Vita S. Xav. lib. 4. n. 13.*

2. Annô 1579. Gregorius XIII. Religioſis Societatis JEſu conceſſit, ut in ſuis Eccleſiis obtinere poſſint Indulgen-

gentias omnium aliarum Eccleſiarum in locis, in quibus commorantur, ſi ante altare in quo Sanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ reconditum eſt, in ipſius Eccleſiis Societatis, oraverint pro S. Romanæ Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, & inter Principes Chriſtianos fovenda pace. Breve incipit: *Cùm ſicut accepimus*. Ex Bullar. Soc.

3. Annô autem 1656. Alexander VII. inſignem, & planè paternam dedit Epiſtolam in forma Brevis, ad Sereniſſimam Remp. Venetam, quibus eam hortatur ad reſtituendam Societatem in Dominium ſuum. Labores, inquit, quibus utì fideles operarii in Chriſti vinea, Societatis JEſu Religioſi exercentur, fructúſque, quos Domino benedicente ex illa percipiunt, Nobilitatibus veſtris probè cognitos ac perſpectos eſſe, non dubitamus. Adeò enim uberes ſunt, ut bonus eorum odor longè ſeſe latéque diffuderit, & ad longinquas etiam remotáſque regiones jam olim pervenerit. Nos,

quorum humilitatem ſupremus ille Paterfamilias ac Dominus, domûs ſuæ, cuſtodiæ, & agri ſui cultioni præpoſuit, ſolicitudinis noſtræ debitum, ac præcipuam curam eſſe putamus, utiles adeò ſervos, ac traditis à Domino talentis augendis inprimis oportunos, peculiari charitate complecti &c. Concludit poſtea: Dignam itáque prudentiâ veſtrâ, dignam pietate, dignam perpetuâ in nos obſervantiâ, ac maximopere ad divinum auxilium impetrandum, opportunam rem facietis, eos quàm primùm in nobiliſſimam iſtam civitatem, omnémque veſtram ditionem recipiendo &c. *Gomez in Elog. Soc. p. 1. Claſſe 1.*

## *Eodem die obierunt.*

4. **Mauriaci in Gallia, annô 1610. P. Robertus Cuiſſotus, Gallus, ad omnem virtutem ità formatus: ut Ruthenenſis Antiſtes diceret: Solo hujus Patris aſpectu, cæleſtes quoſdam divini amoris igniculos aſpicientibus injici. Humilitate erat tam profundè ſolidéque**

**quo**

que fundata, præſertim in Chriſto Crucifixo, ut negaret, ſe ullis dæmonis machinis poſſe ad arrogantiam inflari. Moriturus, ſuaviſſimè recolebat illud Apoſtoli: *Sive vivimus, Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur.*

5. Carpentoracti in Gallia, annô 1658. P. Balthaſar de Bus, Gallus. Ab ipſo initæ Societatis exordio, totus fuit in carne ſpiritui ſubjuganda, ideóque unde poterat, tum veterum Patrum, tum recentiorum conquirebat heroicæ mortificationis externæ exempla, & quantum per Superiores licuit, æmulabatur. Sic ſubjugata carne, ſpiritum ejus tantis implebat DEus cæli deliciis, ut illi nimiæ, & ſubinde ſuſpectæ viderentur. Cogitatione pariter ac amore ità adhærebat DEO: ut diceret, difficile ſibi eſſe, mentem ad creaturas convertere. Sub mortem, magno animi ſenſu, recitavit triſte illud Eccleſiæ carmen, *Dies iræ, dies illa*, & ut ſecurior, inter Amorem, & Timorem DEI, tranſiret ad beatam Æternitatem. Adjecit & hymnum Ambro-

broſianum: *Te DEum laudamus*, in gratiarum actionem, quòd in Societate moreretur. Ad hanc ut vocaretur, eámque ingrederetur, ferventibus quatuor annorum precibus apud DEUM inſtitit. Magnus DEI ſervus, per omnem Galliam celeberrimus, Cæſar de Bus, Patruus noſtri, Patris Balthaſaris.

## XXIV. DECEMBRIS.

I. ANnô 1589. in Japonia, regno Arimæ Chriſtiano, inventa eſt Crux prodigioſa in medio diffiſſæ arboris aridæ, quam Japones Taram vocant, putántque fugare dæmones. Cùm enim ligna pro feſtis Natalitiis Chriſti paraturus, exiiſſet Michaël quidam Chriſtianus, aridum truncum viæ imminentem ſecuri ſtravit, cùmque fidiſſet medium, in quavis fiſſæ arboris parte apparuit crux è ligno alterius ſpeciei, ſimiliter diſſiſſa, ut in quavis trunci parte crux appareret, cujus longitudo erat dodrans palmi, ſeu ſpithama. Inter ceteros ad prodigii famam accurrentes, adfuit etiam Prota-

fu

ſius Rex Arimæ, cui ante menſes ſex per quietem viſi duo quidam cæli Principes, nunciârunt: *Eſſe in terris ipſius ſignum JEſu.* Hic ergo cùm vidiſſet prodigioſam illam Crucem, non dubitavit, eam eſſe ſignum JESU, de quo nuper monitus fuit. Proſtratus igitur humi, O, inquiebat, ùt te libens, gratúsque accipio cœlo miſſum pignus! *Ede, quid hoc ſigno imperes, Chriſte: parati ad Crucem ferendam ſumus.* Sub hæc Crucem argentea incluſam theca, in qua videri trans pellucidam cryſtallum poſſet, Arimam ipſe portavit, ubi longè celebrior facta eſt, ſecutis ad eam curationum ingentibus miraculis: ad quorum evidentiam, etiam ethnici ità commoti ſunt, ut ex ipſis ante finem ſequentis anni 1590. undecim millia Arimæ ſint baptizati; in variis verò Ximi locis, usque ad novem millia. Verùm non ſolùm benedictionis, ſed etiam gravioris imminentis perſecutionis ea crux ſignum fuit. *Sacchin. hiſt. Soc. pag. 5. lib. 9. n. 322. & ſeqq.*

2. In Luſitania conabatur Ven. P. Franciſcus Suarez expedire ſe curâ Prælectionum Theologicarum in Academia Conimbricenſi in quibus jam ultra annum trigeſimum tumibi, tum alibi proceſſerat : Sed obſtitit Philippus III. Rex Hiſpaniæ, & Luſitaniæ, datis ad eum literis hoc die, annô 1611. urgendo : ut ſaltèm triennium adhuc ei labori, Eccleſiæ, & ditionibus ſuis, tam utili, impenderet, quibus evolutis, iterum inſtitit, ut unum adhuc annum ſuperadderet. Tam eximiam habuit opinionem de Doctore illo, quamvis plurimi alii in doctiſſima Hiſpania, & Luſitania non deeſſent. *Maffejus in Vita cap. 17.*

## *Eodem die obierunt.*

3. In Braſilia, annô 1554. Petrus, Correa, & Joannes Soſa, Luſitani in odium fidei nobiles victimæ ceciderunt. Erat primùm Petrus turmæ militaris Ductor, miráque ſagacitate venabatur Braſilos barbaros, Luſitanis in ſervitutem vendendos. Monitus reſipuit,

puit, atque ut miſeros Braſilos è captivitate diaboli in libertatem filiorum DEI aſſereret, Societati ſeſe addixit; in qua dum indefeſſo labore, miráque dexteritate ſalutem illorum promovet, unà cum Fratre Soſa, à barbaris obrutus ſagittis occubuit, Chriſtianis unicum Magiſtrum, omnium amicum, fratrem, & patrem deplorantibus.

4. Anconæ in Italia, annô 1587. P. Claudius Matthæus, Gallus. Humili ſtirpe ac paupere domo natus, virtute ac ingenio eò evaſit, ut Henricus III. Galliæ Rex, frequenter per duas tréſve horas ab ejus ore penderet. Dux Guiſius ferè quotidie perfamiliariter eo utebatur etiam ſpiritualibus S. Ignatii Exercitiis per dies 40. ab ipſo excultus. Cùm Provinciam gubernaret, certior fiebat divinitus, quoties aliquis in Provincia moriebatur. Claudium Aquavivam in Præpoſitum Generalem eligendum, diúque illi muneri præfuturum, cælitus didicit, ac prædixit. In poſtremo Romam itinere, quotidie per horæ dimidium Exhortationem habe-

bat ad comites, vel ad aliquem famulorum. Redeuntem in Galliam, Anconæ mors occupavit.

5. Hiſpali in Hiſp. annô 1584. P. Georgius Alvarez Hiſpanus. Magna ſiti ſalutis animarum ardebat, magna in permovendis ad lacrymas obſtinatis peccatoribus efficacitate pollebat. Perſuaſit aliquando Parenti ſuo, ut Exercitiis Spiritualibus apud nos animam excoleret: Sed ſimul P. Rectorem oravit, ut illi calceos faciendos vel reficiendos daret tempore exercitii manualis; eſſe enim arte ſua ſutorem. Viſus eſt non ab uno, nec ſemel, inter orandum cæleſti lumine circumfuſus. Morientem Rodericum de Flores rogavit P. Georgius: Ut celerem ipſi mortem impetraret. An non poſſes, ajebat, mihi à DEO obtinere, ut proximum Chriſti naſcentis diem in cælo celebrem? Recepit Rodericus, id ſe curaturum. Et P. Georgius brevì æger, ſcilicet undecimâ Decembris, hoc die optata morte migravit è vita.

XXV.

# XXV. DECEMBRIS.

I. ANnô 1538. ipſa Natalis Chriſti nocte, S. P. Ignatius Romæ ad Præſepe nati DEI, in Baſilica S. MARIÆ Majoris, ad Nives dicta, primum Miſſæ Sacrificium DEO obtulit, poſt præmiſſam plus quàm unius anni præparationem. *Nadaſi in Indice Memor.*

2. Granatæ in Hiſpania annô 1560. Concionatorem è Societate agebat P. Joannes Bapt. Sancius, cum ea in animos auditorum authoritate, ut quò quò vellet illos flecteret. Fuit, cùm in noſocomio, quod S. Joannes DEI erexerat, confertum auditorem è Clero, & primariis aliis viris, ad opera miſericordiæ invitaret, præſertim in re valde anguſta ejus domûs. Inter alia: Erítne, inquiebat, in hac tam inſigni corona, qui exemplo S. Martini, velit nudum Chriſtum in ſuis pauperibus operire? Vix dixerat, cùm proſiliens in medium Sacerdos quidam, pretioſum ſibi detractum pallium ad pedes

Patris abjecit. Exemplum confeſtim ſecuti alii ſuper alios, quidquid ad manum habebant, in unum conjiciunt cumulum, pecuniam, annulos, pallia, ſagas, thoraces &c. ut Sancius inclamare debuerit: Satìs eſſe, ſupérque. Eandem induſtriam eadem felicitate repetiit ipſo Chriſti Natalis die, hortando, ut algentem nudúmque Chriſtum operirent. Tam facilè calefacit Auditores ardens Orator. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 4. n. 178.*

3. Apud Sinas Pechini, urbe regia, tandem annô 1609. ipſo Dominici Natalis die aperuerunt Noſtri Sacellum elegans, Europæo more conſtructum, cum aris duabus, altera Chriſto Salvatori, altera ejus Parenti Virgini dicata. Neophytorum ingens fuit concurſus, ſed major Ethnicorum, quorum non pauci per eam occaſionem gregi Chriſti ſunt aggregati. *Trigaultius in Exped. Sinenſ. lib. 5. c. 15.*

4. In Gallia, ut Lugdunum, urbem ampliſſimam, ab hæreſi plenè purgaret

ret P. Edmundus Augerius, qui ſupra duo millia hæreticorum ibi converterat, ex voluntate Senatûs, aggreſſus eſt cum aliis quibusdam Doctoribus bibliopolia recognoſcere. Congeſta eſt infinita vis librorum peſtilentium, qui ipſa nocteNaſcentis Chriſti incenſi magna luce perfuderunt cælum, continuatum eſt incendium etiam per ſequentes duos dies. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 3. lib. 3. n. 161.*

5. In Tranſylvania annô 1588. alia fuit facies. Ab hæreticis Gubernatore Getzio, & Nobilitate editum decretum, ut ex omni Tranſylvania intra 25. dies excederent Jeſuitæ, nec ulli fas eſſet, eos apud ſe habere, multáque alia contra Religionem Catholicam decreta; Princeps Sigiſmundus coactus in verba impii decreti jurare. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. n. 61.* In Livonia quoque Rigæ, ingens tumultus excitatus ab hæreticis annô 1585. *Idem ibid. lib. 5. n. 82.*

6. Poſt mortem Pauli IV. diu inter

 Car-

Digitized by Google

Cardinales de eligendo Pontifice concertatum, quorum plerique ſubitò motu Laynium, Societatis JEſu Generalem, virum omni exceptione majorem eligendum proclamârunt. Sed tandem in die Natalis Chriſti, omnes in Joannem Angelum MedicinumMediolanenſem convenerunt. Coronatus eſt 8. Idus Jan. dictúsque Pius IV. cujus cellæ ſupervolitans columba, & in ea quieſcens creditur Pontificatum prænunciaſſe. *Brietius.*

## *Eodem die obierunt.*

7. Fremonæ in Æthiopia, an. 1593. P. Emmanuel Fernandez, Luſitanus, Patris Andreæ Oviedi, Patriarchæ, Socius, laborúmque ac periculorum conſors. Neſtoriano Monacho contra Catholicos Imperatorem concitanti, prædixit: Catholicos ab Imperatore nihil paſſuros, ipſum autem pſeudomonachum, brevi ad tribunal divinum rapiendum, prout evenit. Mortem, quam octiduo ante prædixit, inter liquidiſſima ſolatia oppetiit, comparenti



Digitized by Google

renti enim ſibi DEIparæ V. *Ah Domina mea!* ajebat: *Ah Domina mea!* Petenti Franciſco Lopez Coadjutori, ecquid eſſet? reſpondit: *Vidi Virginem DEIparam, pulchritudine Divina mirabilem. Sine me, ſequi abeuntem.* Et ſecutus eſt.

8. Nangaſachi in Japonia, an. 1628. Michaël Nacaſcima, Japon, odio fidei interemptus. Chriſtianam rem egregiè promovit in Japonia, non uno fuſtuario honoratus. Denique comprehenſus ſolito æquæ in os infuſæ, & mox violenter cum ſanguine expreſſæ, tormento cruciatus eſt. Soli torrendus expoſitus, leni aura è cælo aſpirante, recreatus eſt. Deinde bulliente ſulphurea aqua, quæ ex monte vicino manat, frequenter perfuſus, & per ſtagna ejuſdem aquæ raptatus, cùm Chriſtum, & fidem conſtanter profiteretur, extinctus, ſeu potiùs cælo ortus eſt.

9. Londini in Anglia, annô 1628. P. Joannes Bennetus, Anglus ob fidei & animarum zelum graviſſimis carceribus, & acerbiſſimis tormentis excru-

cia-

Digitized by Google

ciatus. Quibus tamen omnibus longè acerbius excogitavit, & adhibuit tormentum hæretica rabies; quando in anguſtum cubiculum compacto P. Joanne, immiſit ſpurciſſimorum juvenum turmam, qui ante occulos Viri caſtiſſimi omne genus fœditatum exercuerunt. Sed omnibus infractus, proſcriptus tandem eſt ex Anglia, intentata dira morte, ſi rediret. Rediit tamen, & totis 35. annis in laboribus Apoſtolicis, & quotidianis mortibus exactis, quievit in pace, Viri Sancti elogio paſſim honoratus.

10. In Belgio annô 1690. P. Cornelius Hazart, Belga. Per annos viginti, & ultra Concionibus ſacris Antverpiæ ſatìs occupatus: ut non ſola voce, ſed ſtylo etiam prædicaret, tantum temporis invenit vir zeloſiſſimus: ut præter Tomos 7. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, in folio, Controverſiis fidei diſtinctos libros 37. elucubrârit, edideritque. *Sottuell. in bibl. Soc.*

XXVI.

# XXVI. DECEMBRIS.

I. COntigit annô 1599. inſignis viſio S. Mariæ Magd. de Pazzis, quando in extaſim rapta, in feſto S. Stephani Protomartyris vidit: DEUM S. Joannis Evang. animâ ità delectari; ùt quodamodo præter illum, nemo eſſe in cælo videretur; quod idem præſtabat DEUS animæ S. Ignatii Soc. JEſu Fundatoris. Nam, ùt ipſa Sancta ſubdit: Idem eſt S. Joannis cum S. Ignatii, ſpiritus. Amborum enim fuit ſcopus hic, & finis; amor, & charitas in DEUM, & proximum: amore atque charitate homines trahebant ad DEUM. Tum addit: nullus felicior in terris nunc viget, quàm Ignatii ſpiritus, ejus enim filii in regendis animis contendunt potiſſimùm, ut ſciant; quantopere DEO placeat, interiorem excolere hominem, & interioribus exercitiis ſe dare. His enim efficitur, ut ardua, & difficilia facilè obeantur: nam virtus interior lumen animo iufundit, ex quo naſcitur is a-

amor,

mor, quo amata omnia dulceſcunt. Videbat præterea, Ignatii filios, quoties in terris hoc modo cum proximis agerent, toties illam inſtaurare, quam ex Ignatii anima DEUS percipit, voluptatem. *Bartolus in Vita S. Ign. lib. 2. n. 47.*

2. In Africa annô 1561. hoc die, potentiſſimum Monomotapæ Regem adiit P. Conſalvus Silveira. Antequam Regem accederet, præmiſit ille Ducem exercitus ſui Antonium Cajadum Luſitanum, qui ſuo nomine Conſalvum ſalutaret, ac munera deferret, ingens auri pondus, boves permultos, famulóſque in uſus domeſticos. Quæ cùm omnia officiosè remiſiſſet Conſalvus, tanquam ſtatui ſuo non accommodata: miratus eſt Rex eam animi excelſitatem. Advenientem excepit ea humanitate, quam nec ſtipendiariis ſibi Regibus præſtare ſolebat. Ubi verba ſalutis æternæ facere cœpit, eam illis gratiam dedit DEUS, ut intra breve tempus Rex cum Matre ſua, multíſque Proceribus ſit baptizatus. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 5. n. 219. &c.*

3. In

Digitized by Google

3. In Italia Robertus Bellarminus, juvenis adhuc annorum 22. nec guſtatâ adhuc Theologiâ, ad ſtuporem concionatus eſt in templo primario Montis Regalis. Primam dixit concionem herì, quam cùm ſumma voluptate audiſſent Prælati, & cives, legatis ad Collegium miſſis, inſtiterunt, ut altera etiam die, S. Stephano ſacra, non gravaretur eos reficere verbo DEI. Erubuit Robertus, & cùm temporis brevitatem oppoſuiſſet ad concionem parandam, repoſitum eſt: quidquid diceret, ratum gratúmque futurum. DEO ergo confiſus, dixit cum ea ſatisfactione: ut Canonici omnes acclamârint; herì audivimus te concionantem, hodie DEUM per te. Rector Collegii ſcribens de his ad Generalem, non dubitavit, Bellarmino juveni accommodare illud: Nunquam ſic locutus eſt homo. *Petras. in Vita lib. 2. cap. 2.*

Eo

decet : tum quia unus eſt S. Ignatii, & Joannis ſpiritus; prout revelatum S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis: tum quia eximiam illius æſtimationem prodidit adoleſcenti cuidam de ſtatu vitæ deliberanti Pariſiis. Is cùm liberiore vita relicta, magis probam inſtituiſſet: noctequadam percepit vocem, ad conſtantiam ſe adhortantis. Poſt octiduum ſimiliter monitus, quæſivit: quis eſſet, qui loqueretur. Reſponſum eſt: ſum tui cognominis, Joannes, Evangeliſta. Capuccinúmne, an Carthuſianum agere placet? Ut DEO viſum: repoſuit adoleſcens. Rurſus poſt octiduum comparet Apoſtolus, datáque in manus ſchedulâ, en, inquit, tres tibi offeruntur Ordines, quem voles, elige, ego amplius non revertar. Erant autem in ſcheda duorum Ordinum nomina argenteis ſcripta literis; tertium nomen, quod erat, Societatis JEſu, aureis. Intellexit adoleſcens myſterium, ſibíque conſuluit Societatem ingreſſus. *Imago primi Sec. Soc. lib. 2. cap. 9.*

2. In

2. In Tranſylvania lætus pariter ac triſtis illuxit hic dies Sociis proſcriptis. Lætus: quòd digni habiti eſſent, pro Nomine JEſu contumeliam, & bonorum omnium jacturam pati. Triſtis, quòd regio tam ampla deſerenda eſſet, & tam copioſus Catholicorum grex in medio luporum relinquendus, unà cum principe Sigiſmundo, Catholico quidem, ſed cui hæretici jam dominabantur, ità: ut nemo Patrum, etiam per ſupplicem libellum, aut literas, ipſum convenire poſſet. Erat Albæ P. Joannes Leleſius, qui principem à pueritia educârat, & inſtituerat, Religionémque Catholicam in Tranſylvania quàm maximè propagârat ac ſuſtentârat; is cùm ab aliquot annis paralyticus jacuiſſet, ut mortem jam vicinam ibidem opperiretur, impetrare non potuit. Meggeſio, ubi conventus Nobilitatis eſt habitus, hodie proficiſcentibus, Patribus tam vehemens coorta eſt procella, ut tectum templi, in quo proſcriptionis decretum promulgatum fuit, & caminum

ab

Digitized by Google

ab domo Principis, & pontis Albani partem disjecerit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. n. 61.*

## *Eodem die obierunt.*

3. In Anglia annô 1656. P. Andreas Vitus, Anglus. Apoſtolicis laboribus patriam uſque ad octogeſimum ætatis annum ſtrenuè juvit. Conjectus denique in carcerem, cùm conſueto ſibi jejunio in pane, & aqua, attritum, & exhauſtum corpuſculum bis quot hebdomadis maceraret, carceris cuſtos eam ſeveritatem ſtupens. Si ità rem agere pergeret, inquiebat, minimè parem fore, ut è Tiburni furca rectus penderet. Mihi verò, reſpondit Senex, iſtud ipſum jejunium abundè virium ſubminiſtrat, ad quidlibet causâ Chriſti Domini mei, perferendum. Creſcente deinde languore, cùm jam animam acturus videretur: Nondum, ajebat, venit hora mea, aut dies S. Joanni Evangeliſtæ ſacer. Jam dies cùm advenisſet, vocem audivit: *Hodie mecum eris*; & munitus Sacramentis,

prout

prout petierat, feliciter ex utroque ergaſtulo evolavit.

4. Gandiæ in Hiſpania, annô 1570. Petrus Aldea, Novitius Scholaſt. Hiſpanus. Magno fervore ad ſolidam eminentémque virtutem ferebatur; ſed cælo jam maturus, raptus eſt. Eodem tempore, quo Petrus Gandiæ moriebatur, Valentiæ Catharina Ferraria, pia mulier, cujus hoſpitio ante initam Societatem ille uſus fuerat, cùm nocte intempeſta orationi inſtaret, odore ſuaviſſimo ſibi perfundi videbatur. Poſtridie Franciſco, illius marito, ſpecioſus apparuit Petrus, & apprehenſa ejus manu, dixit: Se illius memorem eſſe, prout olim promiſerat. Vidit quoque octennis filiolus Petrum, unà cum 40. Sociis, floreis ſertis redimitos, & palmis inſtructos. Quæ cùm Catharina manè in Collegio Sociis retuliſſet; adfuerunt paulò poſt Gandiâ literæ, quibus mortis Petri tempus, cum prædictis bene congruens, nunciabatur.

5. Viennæ Auſtriæ annô 1634. P. Joannes Hitzette, Lotharingus, glorioſo

rioſo labore peſtiferis impenſo: conſumptus eſt cum tribus Sociis. Fuit is annus tam funeſtus Germaniæ : ut præter innumeram populi multitudinem, è noſtris 64. variis in locis, obſequiis peſtiferorum ſint immortui.

## XXVIII. DECEMBRIS.

I. CLaudiopoli in Tranſylvania, poſt promulgatum proſcriptionis decretum, deliberatum à noſtris eſt : Anparendum eſſet inniquiſſimo decreto ; vel ſparſim, & incognitò, permanendum? Audendum, etiam cum vitæ periculo, cenſebant plerique, nec committendum, ut tam fortiter, & feliciter cœpta facilè deſerantur, & cum populo Catholico Princeps Sigiſmundus, velut agnus inter feras beſtias relinquatur. Nondum eſſe ventum ad tormenta, poſſe fieri, ut procella hæc, quò major eſſet, eò citiùs detonaret. Ex altera parte, cedendum ſuadebat, inprimis monitum Chriſti, ut orta in una civitate perſecutione, recipiamus nos ad aliam ; deinde nè refra-

Digitized by Google

fractarii videamur., & quod hæretici continuò clamant, legum contemptores, & ſeditioſi. Vincendum potiùs eſſe in bono malum; fieri poſſe, quod non rarò fit, ut modeſtia exarmet furorem, & patientia ſævitiem. Ubi viderit nobilitas clauſam Academiam Claudiopolitanam, alia quoque Collegia, & Gymnaſia deſolata, pronum eſt, ut amiſſi boni ſenſus tangat illam. Carendo enim magìs, quàm fruendo, plerumque rerum pretia cognoſcimus. His, & ſimilibus in utramque partem allatis, Proprovincialis cenſuit, ad Principem Sigiſmundum deciſionem eſſe referendam. At is, poſtquam ſerò tandem eum licuit convenire, cùm laudaſſet operam ſibi, & populo à Societate præſtitam, cedendum iniquitati temporis putavit, ultróque viaticum obtulit, & virtutis teſtimonium. Sic finem habuit prima Societatis in Tranſylvania commoratio. Sociorum alii in Poloniam rediêre, alii in Auſtriam conceſsêre, alii abiêre in Moldaviam, quo vocabantur. Claudius



Digitized by Google

Generalis non probavit; quòd omnes exceſſiſſent. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 7. num. 62.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Valentiæ in Hiſpania, annô 1583. Michaël Gubernus, Hiſpanus. Eccleſiaſten quamvìs ageret, tranquillo dulcíque dicendi modo amabilem: ob ſolidas tamen, quas adferebat, rationes, mirè fuit efficax, & in aula, atque ubique acceptus. Incredibili amore tenebatur erga Chriſtum Infantem, cujus effigiem paſſim dulciſſimis lacrymis rigabat: ab illo, dicebat, ſe ſuas habere conciones, & omnia. Ingredienti aliquando Bibliothecam, occurrit Infans JESUS; & cùm P. Michaël prætenderet, ſibi jam prohibitum eſſe, de illius Infantia meditari; reſpondit Parvulus: *Vade, & pete veniam, ut mecum poſſis loqui.* Ivit, & impetratâ veniâ redux, dulciſſima cum JESU ſuo miſcuit colloquia.

3. In Gallia, annô 1623. P. Nicolaus Pollienus, Sabaudus, ſilentii, & DEI

DEIparæ V. amantiſſimus. Comparuit ea viro gravi, & probo è clero, ægro, ſed vigilanti, comitémque habebat P. Nicolaum, quem juſſit: ut ægri pectus tangeret. Tactus ægro ſalutaris fuit. Ipſe Pater cùm adverſa laboraret valetudine, geminos è Sociis Anicium euntes rogavit ad ſacros Divi Franciſci Saleſii cineres, id ſibi impetrarent; ut die, quo ille migravit è vita, id eſt, die SS. Innocentibus ſacro, & ipſe migraret. Oratum, & impetratum.

4. Bruxellæ in Belgio annô 1630. P. Joannes à Gouda, Belga, Eccleſiaſtes eximius non ſolùm oris facundiâ, ſed etiam vitæ exemplô. Quàm potens verbo in cathedra, tam taciturnus domi, quamvìs ingenii eſſet admodum amœni. Rogatus quando ſuas conciones eſſet typis editurus? faceta humilitate reſpondit: *Jam eſſe editas;* quaſi non ſui, ſed alieni ingenii partus eſſent. Paupertatis ſtudio, fere vacuum, & inane incolebat cubiculum; Calamo uno totos decem annos uſus eſt; quamvìs

complures elucubrârit, ediderítque libros contra Sectarios. Tria optavit pro morte: ut non lenta, ſed præcipiti morte decederet; ut die aliquo Mariano; ut inter labores. Obtinuit omnia. Fractus enim concionibus per Adventum habitis, cùm hoc die, qui Sabbatum erat, menſæ communi accumberet, & finem prandii expectaret: derepente linquitur animo, móxque ſacro inunctus oleo, placidiſſimè expiravit. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXIX. DECEMBRIS.

I. PIus IV. Pont. Max. vindicem famæ Societatis epiſtolam dedit annô 1564. ad Maximilianum Imperatorem. Sparſerat enim non ſolùm per Urbem, & Italiam, ſed etiam Germaniam, quidam Prælatorum, quos in his partibus vocant, libellos famoſos, quibus præter crimina afflicta, eam traducebat, & omnium odio propinabat, ùt Religionem diabolicam, nationem execrandam, barbaricam ſectam. Eò erumpunt impotentes animi motus,

tus, ubi non ratio, ſed cupiditas, & invidia dominantur. Deprehenſum tandem Authorem privat officio Pontifex, jubétque dari in vincula, & ſeverè puniri. Nec ſanè grave ſupplicium effugiſſet, niſì pro more ſuo adnitente Societate, Pontifex, ad agendum clementiùs flexus fuiſſet. Ad infamiam tamen Societatis evitandam vel abſtergendam, literas laudis, & commendationis plenas dedit ad Imperatorem, Cardinalem Auguſtanum, Eccleſiaſticos Imperii Electores, atque Bavariæ Ducem, poſtquam à Cardinalibus Judicibus, quibus cauſæ cognitionem commiſerat, pro Societate pronunciatum eſt, non ſinè elogio ejuſdem. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 8. n. 31. &c.*

2. Aliam ad ipſummet Pium IV. Pontificem, pro Societate dedit Epiſtolam, Cardinalis, & Princeps, deinde Rex Luſitaniæ, Henricus, annô 1568. qua illam eximiè commendat Pontifici, ſignificátque ſe Oratori Regis in Urbe exiſtenti, dediſſe in man-

datis, ut omnia negotia, quæ ad commoda Societatis pertinent, ſingulari curâ, & diligentiâ procuraret &c. *Gomez in Eleg. Societ. p. Claſſ. 2.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Ulyſſipone in Luſitania, annô 1616. P. Joannes Nunnius, Luſitanus. Aſſidua illi erat cum DEO conſuetudo, quam in noctem profundam coram Ven. Sacramento protrahebat. Spiritualibus aulæ miniſteriis applicatus, nec ullas gulæ illecebras, nec quidquid honoris ſpeciem habebat, admiſit, ſolitus non rhedâ, ſed pedibus è Collegio ad aulam proficiſci, ad tria vel quatuor paſſuum millia. Magnam in ea morum probitatem, & eximia virtutum decora florere fecit verbo, & exemplo. Mortuum, in feretro per Proceres adornato, ſex primæ dignitatis Optimates humeris extulêre.

4. Pragæ in Bohemia, annô 1651. P. Bernardus Oppel, Moravus, è Canonico Societatis Religioſus. Magna in eo fuit nobiliſſima quæque capita ad fidem

fidem Catholicam adducendi dexteritas, & felicitas. Rectorem agens veſtes ſibi detractas dabat egentibus, calicéſque aliquot in ſubſidium lue tactorum conflavit. Egeno ultimos, quos habebat, decem argenteos nummos dedit: quorum loco decem aureos invenit in ſcriniolo, in quo nihil repoſitum fuerat.

5. Montibus in Belgio, annô 1652. Joannes Daniel, Coadjutor, Belga, DEIparæ V. cultui addictiſſimus; à qua gravi hernia, qua miſerè torquebatur, liberatus eſt. Inter orandum enim conſopito, ſpectabilis facta, quæſivit: *Joannes vis ſanari?* Reſpondente illo; cupere ſe, ſi id DEO placeret. Mox expergefactus, perfectè perſanatum ſe invenit.

## XXX. DECEMBRIS.

I. PIUS IV. Pont. Max. præter litteras famæ Societatis vindices, heri datas ad Maximilianum Imp. alias in eadem causa dedit hodie ad Danielem Archiepiſcopum Moguntinum, & Ele-

Electorem: Non ſinè magna admiratione cognovimus, inquit, libellos quoſdam maledictorum, probrorum, & contumeliarum plenos, nuper diſſeminatos per Germaniam fuiſſe, ad odium infamiámque conflandam univerſo Ordini Societatis JESU, & quibusdam ex ea, præcipuè qui cæteris ſunt notiores. Sanè id moleſtè tulimus. Intelleximus enim, id maligni hoſtis inſtinctu actum fuiſſe, ut quoniam ab ejus Societatis Collegiis, quæ ſunt in Germania, & aliis provinciis, magna, & multiplex his miſeris temporibus ad Eccleſiam DEI utilitas pervenit, eorum bona opera per malevolorum hominum obtrectationes, & calumnias impediantur &c. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 8. num. 35.*

2. In India inſigni zelo atque induſtria rem Chriſtianam promovit P. Gonzalus Rodriquez in Salſetis. Cùm enim exeunte annô 1557. illuc veniſſet Franciſcus Barretus Prorex, magnámque vidiſſet Chriſtianorum ſolitudinem ob hominum egeſtatem: obtulit

ſit P. Gonzalo aureos quingentos, annuatim perſolvendos, quibus ad rem Chriſtianam propagandam, pro ſua prudentia liberè uteretur. Tam opportuno ſubſidio invitatus Pater, moliri ſtatim cœpit fundationem novæ Chriſtianitatis, quæ ab urbe Tana, in qua colluvies ſectarum vigebat, eſſet commodè remota. Diſtabat tertio ab urbe milliario ſylva, in qua templum cum idolo tricipiti extabat ſatis elegans, & ab idololatris frequenti viſitatione adiri ſolitum, ad nuncupanda vel exſolvenda vota, quibus ſaginabantur Brachmanes. Sylvam ergo illam cum circumjacente agro inculto, emit Gonzalus, eámque crucibus erectis implevit, quibus cùm profanata eſſe & ſylvam, & fanum illud exiſtimarent ethnici, abſtinebant à frequentatione illius. Deſerto fano, ac oblatis deficientibus, diffugerunt ſacrificuli Brachmanes, Pater verò tanquam bona derelicta occupavit, pagúmque in vicinia fundavit pauperum Chriſtianorum, quos ubi artem colendi agrum

 edo-

edocuit, mox ille larga ſegete reſpondit culturæ. Sic factum, ut unius anni ſpatio quingenti numerarentur coloni, omnes Chriſtiani; qui paulò poſt uſque ad ter mille aſcenderunt. Cavit autem diligenter, tum ne quiſquam viveret otioſus, tum ne illis immiſcerentur veteres Chriſtiani, præſertim Europæi, qui liberiore vivendi ratione corrumperent novellum illum innocentémque gregem, ad omnem pietatem certis legibus efformatum. Uſus eſt idem, & aliâ ſolertis ingenii induſtriâ, inſtituta perquam ſancta negotiatione. Apud circumjacentes ethnicos invaluit vetus error, & conſuetudo, ut parentes, ſive ob egeſtatem, ſive ex faſtidio educationis, ſive quæſtûs causâ, venderent parvulam prolem, pretio vix majore, quàm quo apud nos conſtat hædus anniculus. Horum plurimos, ne iu Mauros inciderent emptores, aſſignatâ illâ ſibi â Prorege pecuniâ emebat Gonzalus, educabátque Chriſto. Emebat, & multos adultiores, vel membris mutilos,

Digitized by Google

los, vel gravi ægritudine factos inutiles, vel qui credebantur non diu ſupervicturi; quos omnes vili pretio comparatos, vitæ vel morti Chriſtianæ mirabili ſolertiâ aptabat, avarus animarum negotiator. *Bartolus hiſt. Aſiat. lib. 7. num. 14. & 15.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Aronæ in Italia, annô 1596. P. Emanuel Sa, Luſitanus, vir ex illuſtrioribus Societatis nominibus, in quo mira eruditio cum ſumma pietate eminebat. Vix annos 17. natus, in nova Gandiæ Academia Philoſophiam magno plauſu docuit, meruítque ipſum Academiæ Fundatorem, S. Franciſcum Borgiam, tum adhuc Gandiæ Ducem, privatim habere diſcipulum. Romæ conciones habuit annis compluribus, nullo quidem Rhetorum artificio elegantes, & quaſi ultro inconcinnas, ſemper tamen gratas, rationibus, & ſpiritu validas, adeóque fructuoſiſſimas. Fertur, non ſemel Infantis JEſu, & Matris ejus conſpectu recreatus,

quæ etiam morienti adfuit cum S. Patre Noſtro.

4. Hiſpali in Hiſpania, annô 1644. P. Petrus de Urteaga, Hiſpanus. Ad populum plauſu admirabili, & fructu dixit per annos 45. etiam dum Collegia, & Domum Profeſſam iteratò gubernaret. Nec incarceratorum, ægrorúmque curam interim deponebat. Quodſi fortè, dum regebat, in aliquem domi incidiſſet, à meridie aliquid otio indulgentem, ſumma manſuetudine rogabat: *Quid hìc agis, mi Pater? Et quomodo cœnam hodie à Domino mereberis, nisì ante noctem lucrum aliquod illi ex animabus attuleris?* Apoſtolicos ejus labores etiam temporali fructu remunerabatur Dominus, quando domeſticam egeſtatem non ſemel prodigiosè ſublevavit.

5. Eboræ in Luſitania, annô 1600. P. Joannes Stremoſius, Luſitanus. Duo memorabilia de hoc traduntur. Alterum, quòd centeſimum decimum ætatis annum exceſſerit, alterum, quòd etiam in ea ætate crudus in ſe ipſum fue-

fuerit; quotidianis flagris in ſtrigioſum corpus deſæviendo.

6. Ibidem annô 1582. P. Emmanuel Alvarus, Luſitanus. Eximia vitæ integritate atque prudentiâ præſtans, Collegia rexit Eborenſe, & Ulyſſiponenſe, ubi etiam domum Profeſſam cum laude gubernavit. Sed multò celebriorem fecerunt libri editi de Arte Grammatica quos, & externi Grammatici inſignes magni fecerunt, & Societas univerſa recepit, in ſcholis ſuis explicandos. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXXI. DECEMBRIS.

I. EX inſula Sanciano, annô 1551. ſolvit Malacam, ac inde Goam, reverſus ex Japonia, Indiarum Apoſtolus S. Xaverius. Propoſitum ei fuit, ordinandi res Societatis in India, ut poſſet iter arripere in Chinam. Advertit enim in Japonia, prædicationem Evangelii longè majores proventus facturam, ſi illud probâſſent, ac ſuſcepiſſent Sinenſes. Japones quippe Religionis ſuæ ritus referebant ad Si-

ab domo Principis, & pontis Albani partem disjecerit. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 8. n. 61.*

## *Eodem die obierunt.*

3. In Anglia annô 1656. P. Andreas Vitus, Anglus. Apoſtolicis laboribus patriam uſque ad octogeſimum ætatis annum ſtrenuè juvit. Conjectus denique in carcerem, cùm conſueto ſibi jejunio in pane, & aqua, attritum, & exhauſtum corpuſculum bis quot hebdomadis maceraret, carceris cuſtos eam ſeveritatem ſtupens. Si ità rem ageret pergeret, inquiebat, minimè parem fore, ut è Tiburni furca rectus penderet. Mihi verò, reſpondit Senex, iſtud ipſum jejunium abunde virium ſubminiſtrat, ad quidlibet cauſâ Chriſti Domini mei, perferendum. Creſcente deinde languore, cùm jam animam acturus videretur: Nondum, ajebat, venit hora mea, aut dies S. Joanni Evangeliſtæ ſacer. Jam dies cùm adveniſſet, vocem audivit: *Hodie mecum eris*; & munitus Sacramentis, prout

Digitized by Google

prout petierat, feliciter ex utroque ergaſtulo evolavit.

4. Gandiæ in Hiſpania, annô 1570. Petrus Aldea, Novitius Scholaſt. Hiſpanus. Magno fervore ad ſolidam eminentémque virtutem ferebatur; ſed cælo jam maturus, raptus eſt. Eodem tempore, quo Petrus Gandiæ moriebatur, Valentiæ Catharina Ferraria, pia mulier, cujus hoſpitio ante initam Societatem ille uſus fuerat, cùm nocte intempeſta orationi inſtaret, odore ſuaviſſimo ſibi perfundi videbatur. Poſtridie Franciſco, illius marito, ſpecioſus apparuit Petrus, & apprehenſa ejus manu, dixit: Se illius memorem eſſe, prout olim promiſerat. Vidit quoque octennis filiolus Petrum, unà cum 40. Sociis, floreis ſertis redimitos, & palmis inſtructos. Quæ cùm Catharina manè in Collegio Sociis retuliſſet; adfuerunt paulò poſt Gandiâ literæ, quibus mortis Petri tempus, cum prædictis bene congruens, nunciabatur.

5. Viennæ Auſtriæ annô 1634. P. Joannes Hitzette, Lotharingus, glorioſo

Digitized by Google

rioſo labore peſtiferis impenſo: conſumptus eſt cum tribus Sociis. Fuit is annus tam funeſtus Germaniæ: ut præter innumeram populi multitudinem, è noſtris 64. variis in locis, obſequiis peſtiferorum ſint immortui.

## XXVIII. DECEMBRIS.

I. Claudiopoli in Tranſylvania, poſt promulgatum proſcriptionis decretum, deliberatum à noſtris eſt: Anparendum eſſet iniquiſſimo decreto; vel ſparſim, & incognitò, permanendum? Audendum, etiam cum vitæ periculo, cenſebant plerique, nec committendum, ut tam fortiter, & feliciter cœpta facilè deſerantur, & cum populo Catholico Princeps Sigiſmundus, velut agnus inter feras beſtias relinquatur. Nondum eſſe ventum ad tormenta, poſſe fieri, ut procella hæc, quò major eſſet, eò citiùs detonaret. Ex altera parte, cedendum ſuadebat, inprimis monitum Chriſti, ut orta in una civitate perſecutione, recipiamus nos ad aliam; deinde nè refra-

fractarii videamur., & quod hæretici continuò clamant, legum contemptores, & ſeditioſi. Vincendum potiùs eſſe in bono malum; fieri poſſe, quod non rarò fit, ut modeſtia exarmet furorem, & patientia ſævitiem. Ubi viderit nobilitas clauſam Academiam Claudiopolitanam, alia quoque Collegia, & Gymnaſia deſolata, pronum eſt, ut amiſſi boni ſenſus tangat illam. Carendo enim magis, quàm fruendo, plerumque rerum pretia cognoſcimus. His, & ſimilibus in utramque partem allatis, Proprovincialis cenſuit, ad Principem Sigiſmundum deciſionem eſſe referendam. At is, poſtquam ſerò tandem eum licuit convenire, cùm laudaſſet operam ſibi, & populo à Societate præſtitam, cedendum iniquitati temporis putavit, ultróque viaticum obtulit, & virtutis teſtimonium. Sic finem habuit prima Societatis in Tranſylvania commoratio. Sociorum alii in Poloniam rediêre, alii in Auſtriam conceſsêre, alii abiêre in Moldaviam, quo vocabantur. Claudius

Generalis non probavit; quòd omnes exceſſiſſent. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 5. lib. 7. num. 62.*

## *Eodem die obierunt.*

2. Valentiæ in Hiſpania, annô 1583. Michaël Gubernus, Hiſpanus. Eccleſiaſten quamvìs ageret, tranquillo dulcíque dicendi modo amabilem: ob ſolidas tamen, quas adferebat, rationes, mirè fuit efficax, & in aula, atque ubique acceptus. Incredibili amore tenebatur erga Chriſtum Infantem, cujus effigiem paſſim dulciſſimis lacrymis rigabat: ab illo, dicebat, ſe ſuas habere conciones, & omnia. Ingredienti aliquando Bibliothecam, occurrit Infans JESUS; & cùm P. Michaël prætenderet, ſibi jam prohibitum eſſe, de illius Infantia meditari; reſpondit Parvulus: *Vade, & pete veniam, ut mecum poſſis loqui.* Ivit, & impetratâ veniâ redux, dulciſſima cum JESU ſuo miſcuit colloquia.

3. In Gallia, annô 1623. P. Nicolaus Pollienus, Sabaudus, ſilentii, &

DEI

DEIparæ V. amantiſſimus. Comparuit ea viro gravi, & probo è clero, ægro, ſed vigilanti, comitémque habebat P. Nicolaum, quem juſſit: ut ægri pectus tangeret. Tactus ægro ſalutaris fuit. Ipſe Pater cùm adverſa laboraret valetudine, geminos è Sociis Anicium euntes rogavit ad ſacros Divi Franciſci Saleſii cineres, id ſibi impetrarent; ut die, quo ille migravit è vita, id eſt, die SS. Innocentibus ſacro, & ipſe migraret. Oratum, & impetratum.

4. Bruxellæ in Belgio annô 1630. P. Joannes à Gouda, Belga, Eccleſiaſtes eximius non ſolùm oris facundiâ, ſed etiam vitæ exemplô. Quàm potens verbo in cathedra, tam taciturnus domi, quamvìs ingenii eſſet admodum amœni. Rogatus quando ſuas conciones eſſet typis editurus? faceta humilitate reſpondit: *Jam eſſe editas*; quaſi non ſui, ſed alieni ingenii partus eſſent. Paupertatis ſtudio, fere vacuum, & inane incolebat cubiculum; Calamo uno totos decem annos uſus eſt; quamvìs

complures elucubrârit, ediderítque libros contra Sectarios. Tria optavit pro morte: ut non lenta, ſed præcipiti morte decederet; ut die aliquo Mariano; ut inter labores. Obtinuit omnia. Fractus enim concionibus per Adventum habitis, cùm hoc die, qui Sabbatum erat, menſæ communi accumberet, & finem prandii expectaret: derepente linquitur animo, móxque ſacro inunctus oleo, placidiſſimè expiravit. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXIX. DECEMBRIS.

I. PIus IV. Pont. Max. vindicem famæ Societatis epiſtolam dedit annô 1564. ad Maximilianum Imperatorem. Sparſerat enim non ſolùm per Urbem, & Italiam, ſed etiam Germaniam, quidam Prælatorum, quos in his partibus vocant, libellos famoſos, quibus præter crimina afflicta, eam traducebat, & omnium odio propinabat, ùt Religionem diabolicam, nationem execrandam, barbaricam ſectam. Eò erumpunt impotentes animi motus,

tus, ubi non ratio, ſed cupiditas, & invidia dominantur. Deprehenſum tandem Authorem privat officio Pontifex, jubétque dari in vincula, & ſeverè puniri. Nec ſanè grave ſupplicium effugiſſet, niſi pro more ſuo adnitente Societate, Pontifex, ad agendum clementiùs flexus fuiſſet. Ad infamiam tamen Societatis evitandam vel abſtergendam, literas laudis, & commendationis plenas dedit ad Imperatorem, Cardinalem Auguſtanum, Eccleſiaſticos Imperii Electores, atque Bavariæ Ducem, poſtquam à Cardinalibus Judicibus, quibus cauſæ cognitionem commiſerat, pro Societate pronunciatum eſt, non ſinè elogio ejuſdem. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 8. n. 31. &c.*

2. Aliam ad ipſummet Pium IV. Pontificem, pro Societate dedit Epiſtolam, Cardinalis, & Princeps, deinde Rex Luſitaniæ, Henricus, annô 1568. qua illam eximiè commendat Pontifici, ſignificátque ſe Oratori Regis in Urbe exiſtenti, dediſſe in man-

datis, ut omnia negotia, quæ ad commoda Societatis pertinent, ſingulari curâ, & diligentiâ procuraret &c. *Gomez in Eleg. Societ. p. Claſſ. 2.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Ulyſſipone in Luſitania, annô 1616. P. Joannes Nunnius, Luſitanus. Aſſidua illi erat cum DEO conſuetudo, quam in noctem profundam coram Ven. Sacramento protrahebat. Spiritualibus aulæ miniſteriis applicatus, nec ullas gulæ illecebras, nec quidquid honoris ſpeciem habebat, admiſit, ſolitus non rhedâ, ſed pedibus è Collegio ad aulam proficiſci, ad tria vel quatuor paſſuum millia. Magnam in ea morum probitatem, & eximia virtutum decora florere fecit verbo, & exemplo. Mortuum, in feretro per Proceres adornato, ſex primæ dignitatis Optimates humeris extulêre.

4. Pragæ in Bohemia, annô 1651. P. Bernardus Oppel, Moravus, è Canonico Societatis Religioſus. Magna in eo fuit nobiliſſima quæque capita ad fidem

Digitized by Google

fidem Catholicam adducendi dexteritas, & felicitas. Rectorem agens veſtes ſibi detractas dabat egentibus, calicésque aliquot in ſubſidium lue tactorum conflavit. Egeno ultimos, quos habebat, decem argenteos nummos dedit: quorum loco decem aureos invenit in ſcriniolo, in quo nihil repoſitum fuerat,

5. Montibus in Belgio, annô 1652. Joannes Daniel, Coadjutor, Belga, DEIparæ V. cultui addictiſſimus; à qua gravi hernia, qua miſerè torquebatur, liberatus eſt. Inter orandum enim conſopito, ſpectabilis facta, quæſivit: *Joannes vis ſanari?* Reſpondente illo; cupere ſe, ſi id DEO placeret. Mox expergefactus, perfectè perſanatum ſe invenit.

## XXX. DECEMBRIS.

I. PIUS IV. Pont. Max. præter literas famæ Societatis vindices, heri datas ad Maximilianum Imp. alias in eadem causa dedit hodie ad Danielem Archiepiſcopum Moguntinum, &

Electorem: Non ſinè magna admiratione cognovimus, inquit, libellos quoſdam maledictorum, probrorum, & contumeliarum plenos, nuper diſſeminatos per Germaniam fuiſſe, ad odium infamiámque conflandam univerſo Ordini Societatis JESU, & quibusdam ex ea, præcipuè qui cæteris ſunt notiores. Sanè id moleſtè tulimus. Intelleximus enim, id maligni hoſtis inſtinctu actum fuiſſe, ut quoniam ab ejus Societatis Collegiis, quæ ſunt in Germania, & aliis provinciis, magna, & multiplex his miſeris temporibus ad Eccleſiam DEI utilitas pervenit, eorum bona opera per malevolorum hominum obtrectationes, & calumnias impediantur &c. *Sacchin. hiſt. Soc. p. 2. lib. 8. num. 35.*

2. In India inſigni zelo atque induſtria rem Chriſtianam promovit P. Gonzalus Rodriquez in Salſetis. Cùm enim exeunte annô 1557. illuc veniſſet Franciſcus Barretus Prorex, magnámque vidiſſet Chriſtianorum ſolitudinem ob hominum egeſtatem; obtulit

dit P. Gonzalo aureos quingentos, annuatim perſolvendos, quibus ad rem Chriſtianam propagandam, pro ſua prudentia liberè uteretur. Tam opportuno ſubſidio invitatus Pater, moliri ſtatim cœpit fundationem novæ Chriſtianitatis, quæ ab urbe Tana, in qua colluvies ſectarum vigebat, eſſet commodè remota. Diſtabat tertio ab urbe milliario ſylva, in qua templum cum idolo tricipiti extabat ſatis elegans, & ab idololatris frequenti viſitatione adiri ſolitum, ad nuncupanda vel exſolvenda vota, quibus ſaginabantur Brachmanes. Sylvam ergo illam cum circumjacente agro inculto, emit Gonzalus, eámque crucibus erectis implevit, quibus cùm profanata eſſe & ſylvam, & fanum illud exiſtimarent ethnici, abſtinebant à frequentatione illius. Deſerto fano, ac oblatis deficientibus, diffugerunt ſacrificuli Brachmanes, Pater verò tanquam bona derelicta occupavit, pagúmque in vicinia fundavit pauperum Chriſtianorum, quos ubi artem colendi agrum



Digitized by Google

edocuit, mox ille larga ſegete reſpondit culturæ. Sic factum, ut unius anni ſpatio quingenti numerarentur coloni, omnes Chriſtiani; qui paulò poſt uſque ad ter mille aſcenderunt. Cavit autem diligenter, tum ne quiſquam viveret otioſus, tum ne illis immiſcerentur veteres Chriſtiani, præſertim Europæi, qui liberiore vivendi ratione corrumperent novellum illum innocentémque gregem, ad omnem pietatem certis legibus efformatum. Uſus eſt idem, & aliâ ſolertis ingenii induſtriâ, inſtituta perquam ſancta negotiatione. Apud circumjacentes ethnicos invaluit vetus error, & conſuetudo, ut parentes, ſive ob egeſtatem, ſive ex faſtidio educationis, ſive quæſtûs causâ, venderent parvulam prolem, pretio vix majore, quàm quo apud nos conſtat hædus anniculus. Horum plurimos, ne iu Mauros inciderent emptores, aſſignatâ illâ ſibi à Prorege pecuniâ emebat Gonzalus, educabátque Chriſto. Emebat, & multos adultiores, vel membris mutilos,

los, vel gravi ægritudine ſactos inutiles, vel qui credebantur non diu ſuperviſturi; quos omnes vili pretio comparatos, vitæ vel morti Chriſtianæ mirabili ſolertiâ aptabat, avarus animarum negotiator. *Bartolus hiſt. Aſiat. lib. 7. num. 14. & 15.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Aronæ in Italia, annô 1596. P. Emanuel Sa, Luſitanus, vir ex illuſtrioribus Societatis nominibus, in quo mira eruditio cum ſumma pietate eminebat. Vix annos 17. natus, in nova Gandiæ Academia Philoſophiam magno plauſu docuit, meruítque ipſum Academiæ Fundatorem, S. Franciſcum Borgiam, tum adhuc Gandiæ Ducem, privatim habere diſcipulum. Romæ conciones habuit annis compluribus, nullo quidem Rhetorum artificio elegantes, & quaſi ultro inconcinnas, ſemper tamen gratas, rationibus, & ſpiritu validas, adeóque fructuoſiſſimas. Fertur, non ſemel Infantis JEſu, & Matris ejus conſpectu recreatus,

quæ etiam morienti adfuit cum S. Patre Noſtro.

4. Hiſpali in Hiſpania, annô 1644. P. Petrus de Urteaga, Hiſpanus. Ad populum plauſu admirabili, & fructu dixit per annos 45. etiam dum Collegia, & Domum Profeſſam iteratò gubernaret. Nec incarceratorum, ægrorúmque curam interim deponebat. Quodſi fortè, dum regebat, in aliquem domi incidiſſet, à meridie aliquid otio indulgentem, ſumma manſuetudine rogabat: *Quid hìc agis, mi Pater? Et quomodo cœnam hodie à Domino mereberis, nisì ante noctem lucrum aliquod illi ex animabus attuleris?* Apoſtolicos ejus labores etiam temporali fructu remunerabatur Dominus, quando domeſticam egeſtatem non ſemel prodigiosè ſublevavit.

5. Eboræ in Luſitania, annô 1600. P. Joannes Stremoſius, Luſitanus. Duo memorabilia de hoc traduntur. Alterum, quòd centeſimum decimum ætatis annum exceſſerit, alterum, quòd etiam in ea ætate crudus in ſe ipſum fue-

fuerit; quotidianis flagris in ſtrigioſum corpus deſæviendo.

6. Ibidem annô 1582. P. Emmanuel Alvarus, Luſitanus. Eximia vitæ integritate atque prudentiâ præſtans, Collegia rexit Eborenſe, & Ulyſſiponenſe, ubi etiam domum Profeſſam cum laude gubernavit. Sed multò celebriorem fecerunt libri editi de Arte Grammatica quos, & externi Grammatici inſignes magni fecerunt, & Societas univerſa recepit, in ſcholis ſuis explicandos. *Sotuell. in bibl. Soc.*

## XXXI. DECEMBRIS.

I. EX inſula Sanciano, annô 1551. ſolvit Malacam, ac inde Goam, reverſus ex Japonia, Indiarum Apoſtolus S. Xaverius. Propoſitum ei fuit, ordinandi res Societatis in India, ut poſſet iter arripere in Chinam. Advertit enim in Japonia, prædicationem Evangelii longè majores proventus facturam, ſi illud probâſſent, ac ſuſcepiſſent Sinenſes. Japones quippe Religionis ſuæ ritus referebant ad Si-

Digitized by Google

Sinenſes, tanquam magiſtros ſuos, à quibus, & deos, & modum eos colendi accepiſſent. Proinde ſi illi aliud quoddam novum Numen admiſiſſent, ſe non gravatè ſecuturos, dictitabant. Hujus ergo expeditionis curam Apoſtolicum Xaverii pectus aſſiduè coquebat ità, ut eidem etiam ſit immortuus annô ſequente. Jam ſummam doctrinæ Chriſtianæ, Sinenſi idiomate concinnatam habebat, ſibi, & Sociis olim uſui futuram, jam cùm Jacobo Pereira, ſibi amiciſſimo, convenerat de navigio, & itineris Societate, jam animum obfirmaverat ad quævis pericula, carceres, tormenta, & quamvis mortem. In Indiam ergo anhelabat, ut inde quantocyus rediret in Sancianum. Et videbatur DEUS favere propoſito. Statim enim ac Xaverius in Sanciano navim conſcenderat, ventus, qui adverſabatur euntibus in Indiam, à puppi adſpirare cœpit, pleníſque velis navim agebat. Verùm non diu ſecundo curſu frui licuit. Coortus enim typho, turbine repentino cælum

na-

Digitized by Google

navéſque involvit, atque eam, quæ Xaverianæ navi comes ibat, miſerando naufragio diſſolvit. Actum fuiſſet, & de altera, niſi Xaverium vexiſſet. Pereira ergo cum cæteris accurrere ad ſanctum, & de ſalute ſua conclamare, niſi opem ferat. Ille tacitus ſecedit, & cùm aliquantiſper orans hæſiſſet, prodit in publicum, vultu Angelum referente, elatóque brachio, navi bene precatur, prædicítque: *Navim ſanctæ Crucis* (erat id nomen navi) *mari nunquam hauriendam, ſed quo fabricata fuerat loco, illic ſua ſponte diſſolvendam.* Mox typho navim dimiſit liberam, ſecundus iterum afflavit ventus, exiítque per totam Indiam fama, navim Pereiræ nullo unquam caſu perituram, ideóque certatim omnes illâ vehi, illi merces ſuas credere, ipſi naulum quodvis liberaliſſimè ſolvere, quaſi certam emerent ſecuritatem. Et ſanè è ſexcentis eluctata periculis, totis 30. annis, ab illo vaticinio, ſuperſtes fuit, licèt ægra, carioſa, decrepita.

Digitized by Google

ta. Cavebant autem Navarchi, ut cùm eam refici oporteret, non ſubduceretur in terram, ſed in mari reficeretur, eò, quòd Sanctus prædixerat, in ſicco diſſolvendam. Admiranda planè ſunt, quæ de ea navi traduntur. Cùm tandem in poteſtatem veniſſet Præfecti arcis Dienſis, hic videns undique hiulcam, & tantùm non carie defluentem, Cocini juſſit eam in litus extrahi, & reparari. Ibi dum in diem ſequentem expectat artificum manus; noctu, velut ſenio fractis artubus, in acervum lignorum collapſa, jacuit, ſolis ignibus utilis. Confluxit populus ad rarum ſpectaculum, támque diuturnum Xaverii miraculum feſtis vocibus celebravit. At Georgius Nonnius infimæ notæ mercator, ratus, etiam diſſolutis tabulis aliquid Xaverianæ virtutis ineſſe, raptam ingenti fiduciâ tabulam Liburnicæ ſuæ inſeruit; valuítque induſtria, & fides. Semper enim felici curſu famoſa naufragiis maria peragravit, donec eodem

fa-

Digitized by Google

fato, quo navis illa S. Crucis, extracta in terram, ut reficeretur, ſponte concidit, & diſſoluta eſt. *Bartolus in Vita S. Xaver. lib. 3. num. 50. & ſeqq.*

2. Ex regno Siam Indiæ Orientalis, annô 1688. in Decembri, Legatos Regis Siamenſis Romam dededuxit P. Guido Taſciard, natione Gallus, ad venerandum ſummum Potificem Innocentium XI. eundémque informandum de ſtatu rei Chriſtianæ in regnis Siam, Tunchin, & Cocincina. Opportunus fuit is adventus, & informatio. Jam enim S. Congregatio de Propaganda Fide ex ſiniſtra æmulorum delatione decrétum condiderat contra Miſſionarios Societatis in illis partibus, quod Innocentius rectiùs informatus ſuſpendit. *Ex literis Rom.*

## *Eodem die obierunt.*

3. Lalovesci in Gallia, annô 1640. S. Joannes Franciſcus Regis, Gallus, animarum zelo, & miraculis clarus. Miſſionibus obeundis, Sodalitatibus inſtituendis, & regendis, pauperibúſque

# INDEX.

## A.

Abdicatio bonorum. - *pag.* 42.
P. Abella Honor. cautè converſatur cum fœminis, - 47
P. Abrerus Anton. victima charitatis, - - 122
Abſtinentia, - 164
Academia Vilnenſis inſtituta, 122
P. Acoſta Jac. certamen cum Hugonottis, - 101
P. Acoſta Joan. victima fidei, 38
P. Adamus Joan. victima fidei, 96
Æger cibum delicatum rejicit, 43
Affectus erga Societatem, 18. itèm 104
Agonia magni momenti, - 303
De Aguilar Joan. Procurator inſignis, - - 165
P. de Alamo Ferd. Miſſionarius Dæmoni infenſus, - 230



Digitized by Google

P. de Alarcon lætus moritur, 46
Alber. Mich. victima charitatis, 145
P. Albergotti Marcel. petitio, ſubſidium ejus in Oratorio, - 176
P. Almeida Lud. chirurgus celebris, - - 23
S. Aloyſius Societatem ingreditur, - - 240
Altare portatile Societati conceſſum, - - 3
P. Alvarez Georg. mortem celerem impetrat, - - 367
P. Alvarez Lud. Eccleſiaſtes eximius, prophetat de mundo muliebri ſplendidiore, - 242
P. Alvarus Em. Auctor artis Grammaticæ, - 396
P. Amieu Joan. Sodalitia fundat, 160
Amor DEIparæ, 132. Itèm 386
P. Andries Jodoc. Eccleſiaſtes eximius, - - 227
Angeli Cuſtodis cultus fructuoſus, 307
Angeli laudant Societatem. 261
Angelorum opera in cura infirmorum, - - 295
P. deAngelis Hieron. victima fidei, 183
Ange-

Digitized by Google

Angerer Mag. DEIparæ cultor, 105
Annus ſæcularis Societatis, - 196
P. Argentus Joan. abſens habet ſuffragia pro Generalatu, - - 245
P. Arnoldi Joan. victima fidei, 181
P. de Atienca Joann. vocatur ad juvandos Indos, - - 137
P. Avancinus Nic. probus & doctus, - - 292
Aviditas patiendi, - 80
Avicula juſſu Superioris capta, - 221
P. de Avila Alphonſ. Concionator excellens, - - 76
Avilæ Joan. affectus erga Societatem, - - 309

## B.

Bailius Guil. mirabilis in operatione, - - 114
Baptizatorum multitudo, - 17
S. Barbara inviſit ægrum S. Stanislaum, - - 282
S. Barbara ſpectabilis apparet Petro de Salazar, - 283
P. Bartſchius Frid. victima charitatis, - - 227

Digitized by Google

P. Barzæus Gaſ. Operarius laborioſus, 79. Orator extemporaneus, 134
PP. Baſiliani conciliantur, - 139
P. Bazanus Franc. humilis, - 121
P. Bellarminus Robert. Controverſiarum Profeſſor, 126. Romam redit, emendat Biblia, 178. Rector Collegii Romani, 343. Primam dicit concionem, - 376
P. Belli Balt. victima charitatis, 41
P. Bellidus Petr. aſſiduus in orando, 114
P. de Benavides Franc. anima ſana in corpore infirmo, - 279
Benedictio Superiorum, ad opera, 296
P. Bennetus Joan. variè cruciatus, 372
P. Bernal. Petr. jurandi conſuetudinem abolet, - 229
Bonchriſtianus Petr. imitator S. Aloyſii, - 206
P. Boninus Octav. humilis in Exhortatione, - 287
P. Boraſſa Didac. Superioris juſſu aviculam capit, - 221
S. Borgiæ dies Natalis, 118. Ejus Sanctitas, 44. Mors, - 5

S.

S. Borromæi Car. affectus erga Societatem, - - 146
P. Boſchus Anton. victoriam prædicit, - - 38
Breviarium in aqua non madeſit, 317
P. Brianthus Alexan. cum aliis ad mortem damnatur. - 215
P. Buceleni Joan. humilitas, & abnegatio, - - 189
Bullonius Cardinalis vacat Exercitiis, - - 157
P. de Boſus Baltha, amans mortificationis, conjunctio ejus cum DEO - - 362

# C.

Cadavera ſe ſalutant, - 10
Calari Noſtri ſuſcepti, - 188
P. Calderon Franc. humilis, - 303
P. Campianus Edmun. victima ſidei, - - 191. 268
P. Caniſii Petri elogia, - 352
Capuanus Pompej. conſtans in vocatione, - 14
Carcer Tirocinium vitæ religioſæ, 20
Carceris fructus, - 83

Car-

Cardinales aliquot volunt P. Lainez Pontificem, - 271
P. del Carpio Joan. victima fidei, 278
P. Carvalius Hiero. Orationis, & paupertatis amans, - 103
P. de Caſtillo Joan. victima fidei 205
Caſtitatis laudes, 212. Ejuſdem cura, - - 284
P. Cathius Arnol. init pactum pro accceleranda morte, - 324
P. Centurionius Aug. familiam habet Religioſam, - 164
Certamen cum Hugonottis, 101
Charitas, & naufragium duorum è Noſtris, unus ope S. Ignatii liberatur, - - 122
Charitas fraterna, - 175
P. Chevalier Joan. curam habet caſtitatis, amore DEI ardet, - 284
Chodorowicz Laur. Oratione, & patientia excellit, - 15
Clericis Societ. licet concionari, 218
P. Codacius Petr. amans Societatis, 295
Cognitio contingibilium, - 118
P. Colibrant Georg. DEus mortificationem ſupplet, - 140



Digitized by Google

Colinus Domi. victima fidei, 131
Collegia in Gallia fundata, 98. Collegium Germanicum Romæ, 116
Cordubæ, 240. Laureti, 260. Coloniæ Agrip. - 337
P. à S. Columba Claud. victima charitatis, - 137
Columba ſupra caput ſacrificantis, 354
Commendatio Societatis, - 306
Commemoratio defunctorum Societatis, - - 144
Concionator Apoſtolicus, 264. Inſignis, - 193
Concio igne purgatorii expianda, 79. Concio efficax, 368. Præparatio ad conciones, - 115
P. Conde Nic. mirandæ memoriæ, 24
Confeſſarius promptus, - 51
Confeſſio Paſchalis poteſt fieri apud Mendicantes, - 356
Confeſſio frequens, - 100
Conflictus ad Echinadas, - 30
Conformitas voluntatis propriæ cum voluntate Superiorum, - 345
Congregatio non cogenda, 25. Congregatio Generalis, VIII. 223. XIV. - - 216
Digitized by Google

P. Conſalvius Mel. victima fidei, 28
Contemptus bonorum, - 257
Controverſia de auxiliis gratiæ, 162
Conventus primus Procuratorum Romæ, 8. finitus, - 25
Converſatio cauta cum fœminis, 47
Converſio multorum, 156. Itèm duorum Regum, - 12
Cordubenſe Collegium, - 240
Corpora, & Crucifixi ſimulacra in igne illæſa, - - 198
P. Coſſus Cæſar abſtinens, - 164
P. Coſterus Franc. cultor DEIparæ ſemper lætus, - - 290
P. de Couros Mat. Miſſionarius indefeſſus, - 124
P. Cramerus Mat. victima fidei, 141
Crucifixus ſanguineo ſudore manat, 272. Crux prodigioſa, - 363
P. Cuiſſotus Rob. humilis, - 361
P. Cyrianus Paul. ingratis præſtat obſequium, - 66

# D.

Dæmon ſyngrapham reddere cogitur, - - 54



Digitized by Google

P. Damianus Vincent. victima fidei, - - - 181
Decretum Pariſiis contra Noſtros, 270
Decretum de origine PP. Carmelitarum, - - 248
Defectuum oſor, - 246
DEIparæ cultor, 108. Advocata in purgatorio, 103. Impertit ſanitatem, 390. Inviſit afflictum, 99. Itèm infirmum, - 371
P. Delrio Martini encomia, 84
Diſputatio de auxiliis gratiæ, 174
211. - 239. - 298
Diſputatio cum Hæreticis, - 250
P. Dobokay Alexan. vocatio ad Societatem, - 61
Doctrina juncta virtuti, - 133
P. Domenecus Hiero. Orationis ſtudioſus, - - 348
Drama occaſio tumultûs, - 26
Duacum revocantur Noſtri, - 157

# E.

Eboracenſe Collegium, - 11
Eccleſiaſtes inſignis, 92. Itèm 110
Eleemoſyna lucroſa, - 150

Epi-

Digitized by Google

Epiſtola Pauli V. ad P. Franc. Suar. de libro pro immunitate Eccleſiaſtica, 9. pro Doctrina P. Molinæ, 72. Alexandri VII. ad Rempublicam Venetam, 360. Pii IV. ad Maximilianum Imperator. 387. Ejuſdem pro Societate, 390. Alia Societatis commendatitia, - 388
P. Eſpiga Petr. mutuum refundit in DEum, - - 299
Examen particulare, - 186
Expeditio Japonica periculoſa, 78 In Peruviam, 138. Ad Regnum Cataium, - - - 310
Expulſio Noſtrorum ex Tranſylvania, - - 380

F.

P. Fabius de Fabiis, - 185
Facultas alienandi bona, - 341
Familia Religioſa, - 164
P. Farſia Franc. per radium ab Euchariſtia evibratum in alium mutatur, - - 128
P. Fernandez Em. DEI-para apparet, - - 372



Digitized by Google

P. Fernandius Franc. pacis, & charitatis victima, - 193
Florius Mich. glorioſè moritur, 150
P. de Fonſeca Petri encomia, 148
P. Fontanus Petr. impetrat ſibi mortem, - - 250
P. Fruſius Andr. pietatem doctrinæ jungit, - - 112
Fuldæ gravis tempeſtas 153. Augetur, & ſedatur, - 156

G.

P. Garcia Æmil. Concionator illuſtris, - - 264
P. Garnier Car. Angelorum Cuſtodum operâ utitur in cura infirmorum, 295
P. Gerardi Theodo. morti vicinus audit concentum Angelicum, 5
P. Giatinus Joan. tragœdiarum, & comœdiarum auctor, - 217
Gilbeti Georg. obedientia præmiata, 29
Goës Bened. expeditio ad quærendum Regnum Cataium, - 310
P. à Gonda Joan. mors ad votum accidit, - - 386
P. Gonzalez Thyrſi obitus, - 115

P. Gon-

P. Gonzalez. Roch. occiſus loquitur, - - 197
Græcenſe Collegium, - 40
Gregorii XIII. beneficentia in Societatem, 256. Itèm - 277
Gregorii XIV. affectus erga Societatem, - - 285
Gruda Nicol. victima charitatis, 51
P. de Guadarrame Joan. humilis, obſervans Regularum, - 171
P. Gualdanes Andr. victima fidei, 286
P. Gubernus Mich. amator infantis Chriſti, - 385
P. de Guzman Roderic. in ſe uno totum circumfert Collegium, 243

## H.

Hæretici urgent expulſionem Noſtrorum ex Tranſylvania, 355. Itèm 370
P. Hazart Corn. variorum librorum auctor, - - 373
P. L'Hermite Mart. injurias condonat, - - 71
Hiſpaniæ Rex promovet concordiam inter diſſidentes de auxiliis gratiæ, 245



Digitized by Google

P. Hoffæus Paul. Hæreticorum oppugnator, animarum refugium, 338
P. de Hollandre Petri conformitas propriæ voluntatis cum voluntate Superiorum, - 344
P. Hollandus Thom. victima fidei, 357
Homo lingua aliarum creaturarum, - - 168
Honor in carcere, - 127
P. Horn Adri. liberalis in peregrinos, - - 6
Hortulanus Franc. infans pronuntiat nomen Mariæ, - 349
Humaniores litteræ 30. annis traditæ, - - 203

# I.

P. Jamot Nic. victima charitatis, 169
P. Janus Joan. victima charitatis, 72
JEsu nomen honorabile, - 81
S. Ignatius liberatur ab infamia, 58
207. Apparet Patri Keſſelius, 111
Primam Miſſam celebrat, 368
S. Ignatii ope ſanatur paralyticus, itèm tyro Societatis, 167. Ejus Reliquiæ, 214. Minatur exitium, 249, Exequiæ ejus

Digitized by Google

ejus in India, 336. Dicit exhortationem de humilitate, 340. Apparet mulieri afflictæ, 345. Literæ in Indiam ab Eo miſſæ, 359. Monita dat euntibus ad Concilium Trid. 319
Ignis ſupra Pœnitentiarios, - 260
Ignis ab ardentibus ſuſpiriis, - 67
Indulgentia plenaria pro feſto S. Xaverii, 329. Abſolventibus exercitia, 53. Indulgentiæ aliarum Eccleſiarum, - - 359
Indus opem implorat, - 137
Ingolſtadii ſtudiorum initium, 243
Injuriarum condonatio, - 71
Innocentia vitæ, 100. Itèm, 270
Inſtitutio Epiſcoporum unde, 86
S. Joan. Evangeliſta ſvadet Societatem ingredi, - 378
B. Joſaphat prædicit P. Adamo Ciecierski vitam prolongandam, 265
P. Iſenbrant Joan. promptè obediens, vox è tumba illius, - 354
P. Juſtinianus Georg. Zelator animarum, - 279

K.

P. Kaldi Georg. Liber in loquendo, 128

P. Keſſelio S. Ignatius apparet, 111
P. Kihn Joan. glorioſè moritur, 93
Kimura Leonard. victima fidei, 254
Kolowrat Wenc. bonis ſe abdicat, cibum delicatum æger rejicit, 42
S. Koſtka Stanislaus ſuſceptus ad Novitiatum, - - 118
Ejuſdem Sancti ope ſanitas obtenta, 89
Koſtka Paul. impetrata Societate moritur, - - 189

# L.

Labores præmiati, - 59
P. Lætavallii Mich. encomia, 23
Lætitia perpetua, - 290
P. Lainez Jac. cum P. Salmerone deſtinatur ad concilium Trid. 319. facundè perorat in Concilio Trid. 48. cum aliis Romam redit, 305. Literæ ejuſdem ad Socios in Indiam, 314. Aliqui è Cardinalibus eum volunt Pontificem, - 271
P. Lancicii Nic. converſio, - 288
Lauffenum oppidum Eccleſiæ reſtitutum, - 82
Lauretanum Collegium cedit Noſtris, - - 260

Digitized by Google

P. Layman Paul. doctrinæ jungit humilitatem, - - 191
Lectulus ſpecioſus defuncti, 182
P. Ledeſma Jac. viſitatur à DEIpara, audit laudes caſtitatis, - 212
P. Ledeſma Joan. Theol. humilis, 57
Liber exercitiorum vindicatus, 121.
Libri hæretici combuſti, - 370
Liberalitas remunerata, 7. Itèm 390
Libertas in loquendo, - 128
Litaniæ Lauretanæ efficaces, 265
Literæ Pontificis ad Czarum Moſchoviæ, 119. Ad Regem Hiſpan. 235. Regis Hiſp. in cauſa Molinæ, 245
P. Loarte Gaſp. Crucifixus conſolatur, - - 39
P. Lopez Alexan. victima fidei, 323
P. Lopez Franc. victima fidei, 120.
A Lotharingia Ericus compos non fit voti, - 158
P. Lupatinus Hector cuſtos caſtitatis, - - 234
Lux in vultibus, - 120

# M.

P. Manaræus Oliver. lemures pellit, 253



Digitized by Google

P. Mancinellus Jul. in Turciam venit, - - - 170
P. Manconium Andr. Deipara inviſit, 99
P. Mangotius Adrian. memoriâ deſtituitur, - 198
P. Mans Joan. Rector victima charitatis, - 255
P. Martinez Em. breviarium non madeſit in aqua, impetrat alteri dolorem de peccatis, - 316
Martius Nic. victima charitatis, 226
P. Maſſimani Theo. thalamus cœleſtis, - - 182
P. Maſtrilli Marcel. martyrium, 75
P. Matthæi Claudii geſta, - 366
P. de Mattos Anton. noſcit ſecreta, 107
Memoriæ defectus, - 198
P. Mercuriani Everar. Inſtructio ad Superiores, - 36
Meſquita Jac. Exul ob fidem, 149
Methymnenſis Collegii vexatio, 177
P. Miniſter charitativus, - 63
P. de las Miſſas Joan. victima fidei, 18
Miſſio in Tranſylvaniam, - 4
Miſſionarius induſtrius, 214. Itèm 391 Dæmoni infenſus, 231. Laborioſus, 124. Vires auctæ, 194. Mo-

Molinæ doctrina, 55. Eadem defenditur, - 192
Monaſterienſe Collegium inſtitutū, 80
P. Montaltus Mich. Deiparæ cultor, 107
P. Morales Manuel excolit præſidiarios Luſitanos, - 4
Morbi levamen, - 313
Mors placida, 258. Læta, 47. Ex fame, 50. Præviſa, 103. Accelerata beneficio B. V. 250. Glorioſa, 93. Itèm. - 150
Mors ſtatim poſt baptiſmum, 113
Mortificationis vices ſupplet DEUS, - - 140
P. Muſtoni Marc. mortem prævidet, 330
Mutatio affectûs erga Societatem, 105
Mutuum à DEO ſolvendum, 300

# N.

P. Naçaura Julian. victima fidei, 91
P. Natalis Hieron. accedit Societati, 231
Navis S. Crucis nunquam haurienda, - - 398
Nidardi Joan. virtus, & promotio, 22
P. de Noyelle Car. obitus, - 318
P. Nugentius Niç. in carcere fructificat, - 230

Digitized by Google

P. Nunnez Joan. vocatur ad Societatem, 347. Ejus acta, - 389.
P. La Nuſa Aloyſ. Eccleſiaſtes inſignis, - - 92

## O.

Obedientia prompta, 30. 339. 354. Poſt mortem, - 180
Occiſus loquitur, - 197
P. Ochoia Mich. præditus dono curandi morbos, - 6
Oculorum modeſtia, - 334
Odoenus Nic. victima fidei, - 186
Officium de S. Ignatio, - 49
P. Oliva Paul. Concionator S. Palatii, - - 247
De Onate Domi. mors nuntiatur, 20
Orationis ſtudium 348. efficax, 114. - - 294
P. Orimbellus Ang. victima charitatis, - - 33
P. Ortega Em. operarius inſignis, 93
Ortega Laur. Infirmarius exactus, 336
Ovandus Alphonſ. integer vitæ, 160

P.

Digitized by Google

# P.

P. de Padilla Anton. contemptor mundi, - 257
P. Paez Steph. DEIparæ cultor, 154
P. de Caſtro Palao Ferd. innocentis vitæ, - - 270
P. Pallavicinus Sfortia ex obedientia Cardinalis, - 175
P. Palmius Bened. Concionator inſignis, - - 193
Panormitanum Collegium, 247
P. Pardus Franc. Miſſionarius indefeſſus, - - 11
Pariſienſes afficiuntur Societati, 204
P. Paſſokius Laur. victima fidei, 140
Patientia mira, - 15
Paulus III. creatur Pontifex, - 58
Paupertas Religioſa, - 306
S. Mariæ Magdal. de Pazzis viſio, 374
Pecunia bene impenſa, - 391
Pennant Phil. bis ſanatur tactu Xaverianæ imaginis, - 60
P. Percey Joan. tormenta ſalutaria, 278
Percuſſor non proditus, - 83
P. Perez Barth. obſervans regularum, - - 239

Digitized by Google

P. Petavius Dion. ſentit levamen in morbo, 313
P. de Petris Franc. vocatio ad Societatem, 153
P. Petrius Franc. in Sinis honoratur, 223. Sinis excedit, 228
P. Piccius Bernardin. ſeverus in ſe, 168
Pietas juncta doctrinæ, 115
Pii IV. literæ ad Regem Hiſpaniæ, 235
P. Pinas Ant. victor in lue, 144
P. Plozzinius Blaſi. pluviam impetrat, 96
P. Polanci Joann. Encomia. 351
P. Pollienus Nic. Amator DEIparæ mortem impetrat, 386
P. Ponce Aloyſ. humilitas, 141
P. Poſſevinus Anton. Caduceator inter Moſchum, & Regem Poloniæ, 21
Præparatio ad Conciones. 115
De Prato Alphonſi humilitas, 300
P. de Pretere Guil. Amator DEIparæ, 176
Privilegiorum Confirmatio, 94
Privilegium pro habitatione Noſtrorum, 125. Privilegia Societatis, 134
Procurator inſignis, 165
Pro-

Provincialis unus in India, - 288
P. Puche veſtis honorata, ardentia ſuſpiria, - 67

R.

P. Raderus Matt. 22. annis docet Rhetoricam, - 358
Radius ab Euchariſtia vocat ad Religionem, - 128
De Raſſinghem Ignat. Superiorum benedictionem in operibus implorat, - - 296
P. Raynaudus Theoph. virtutem jungit doctrinæ, - 133
P. Regius Vincent. modeſtiam ſervat oculorum, - 334
S. Regis Joan. Franc. acta & mors, 400
Regularum obſervantia, 171. 239
Reliquiis S. ſedatur tempeſtas, 91
P. Rhem. Jac. inſtituit Sodalitatem colloquii Mariani, - 56
A Rhœtis pelluntur Noſtri, - 126
P. de Rhodes Alexan. multos convertit, - - 155
P. Ribera Franc. Interpres à Chriſto laudatus, - 237

P.Ri-

P. Riccii Mat. locus ſepulturæ, 129
Exequiæ, - 135
P. Richter Sam. zeloſus operarius, 97
P. Redericius Chriſto. venit in Ægyptum, - - 266
P. Rodriquez Alphonſ. corpus, & crucifixus in igne illæſus, - 198
Rodriquez Alphonſ. amator DEIparæ, - - 132
P. Rodriquez Gonzalus Miſſionarius zeloſus, & induſtrius, - 391
P. Romæi Sebaſt. labores præmiati, 59
P. Roſweidus Heribert. ſcriptor ſedulus, - - 25
Ruſelli Rud. innocentia vitæ, 100

## S.

P. Sa Em. Philoſophus, & Eccleſiaſtes, - - 394
P. Sachinus Franc. Obſervans temporis, - 335
Sacellum Bechini apertum, - 369
Salus ſinè purgatorio, - 114
P. Sanchez Joan. defectuum oſor, 246
P. Sanctius Gaſpar literas humaniores 30. annis docet, - 203

P. de

Digitized by Google

P. de Saninan Melch. ſeverus, & ſuavis, - 145
P. de Santaren Ferd. victima fidei, 221
Scaglione Marcel. vocatio, - 402
P. Schaller Sebaſt. victima charitatis, - - 342
P. Schorichius Georg. victima fidei, 88
Scientia futurorum contingentium, & conditionatorum, 255. Itèm 292
Secretorum notitia, - 108
P. Segneri Paul. Concionator Apoſtolicus, - - 259
Seminarium Anglicanum, - 108
Semipelagianiſmus, - - 301
Severitas ſuavitate mixta, - 145
Siani Rex conſtans in fide, - 12
Sigiſmundus Rex Poloniæ, - 303
Silentii amans, - - 33
P. Silveira Conſ. adit Regem Monomotapæ, - 375
Sinenſis Imperator Noſtris beneficus, - - 268
P. Sirmondi Jac. Senectus vegeta, 34
P. Skarga Petr. apoſtatam DEO reconciliat, - - - 282
Sodalitas colloquii Mariani, - 56



Digitized by Google

Sodalitas impia converſa, - 152
Sodalitas Mariana Romæ, - 285
Sodalitia fundata, - 160
P. Soldanus Mar. victima charitatis, 233
P. de Sonſa Anton. victima fidei, 112
De Soria Joan. frequenter confitetur, - - 100
P. Spinola Car. capitur, mittitur in carcerem, - 324
Spiritus nationalis, - 200
P. Staroſcirski Steph. Concionator vivus & mortuus, - - 288
P. Strada Franc. Eccleſiaſtes excellens, - - 110
P. Streidt Philip. Examinis particularis obſervator, - 185
P. Stremoſius Joan. ſenex crudus in ſe, - - - 395
Studiorum ratio, - 296
P. Suarez Franc. Romæ inchoat Theologiam, 139. Continuat eandem 365 ſanat infirmum, 263. Mortuus dat Euchariſtiam, 63. 224. 232.
P. Suarez Joan. aſſiduus in amore Dei, ejus obedientia, - 339
Subſidium in Oratorio, - 177

P. Suff-

Digitized by Google

P. Suffren. Ant. excellens charitas, 175
P. Sylvorſtius Joan. carcere honoratur, - - 127

# T.

Taurinenſes ſcholæ, - 101
P. Teinzerus Joan. fructuosè adhibet Litanias Lauretanas, - 265
Tentatio diaboli, - 94
Teſtimonia de doctrina Molinæ, 97 - - 174
Theologi obſequia humilia, 57
S. Thereſiæ affectus erga Societatem, - - 64
S. Thomæ Apoſtoli vaticinium, 349 Prædicavit in America, 350. Ejus honori Goæ templum erectum, 351
P. Tolgsdorff Operarius zeloſus, 19
Tormenta ſalutaria, - 278
P. de Torres Ant. ægrum pauperem portat, - 331
P. de Torres Joann. ſuaviter moritur, - - 341
P. de Tovar Ferd. victima fidei, 202
Tranſitus ad Carthuſiam, - 59
Translatio Corporis S. Ignatii. 32

Ex

Ex Tranſylvania jubentur Noſtri exceſſe, 370. 383.
P. Treboſius Guil. Miniſter charitativus, - - 63
P. Trigautio Nic. vires augentur, 194
Tumultus Duaceni, - 73
Tumulus ſponte apertus, - 169
P. Turrianus Coſ. zelator fidei, 10
P. Turriani Franc. opera feſtum Præſentationis B. V. breviario reſtitutum, - - 225
Turrianus Mich. mutat affectum erga Societatem, - 104

V.

P. de Valdivia Lud. viſitator regius, 154
P. de Valle Joan. Miſſionarius induſtrius, - 214
P. Varſevicii Staniſ. encomia, 14. Item - - 51
Vaſius Alphonſ. in præſentia DEI verſatur, - - 172
Vaſſerot Jac. dimittuntur peccata, victima charitatis, - 377
P. Velaſquez Joan. defenſor Immaculatæ Conceptionis, - 161
P. Venuſtus Petr. non prodit percuſſorem, - - 83

Digitized by Google

Veſtis honorata, - - 67
Vicecomes Lud. humilis, - 312
Victoria prædicta 45. relata, 280. Ad Echinadas, 30. 35. Ad Malacam 39
P. Ujeyski Thom. PP. Baſilianos conciliat, - - 139
Vilnenſis Academia inſtituta, 122
P. Viteleſcus Mut. eligitur in Generalem, - - 196
P. Vitus Andr. abſtinens in carcere, 381
Ulyſſiponenſes Scholæ, - 77
Vocatio ad Societaté, 61. 153. 347. 402
P. Urſinus Jul. vivens mortuus, 304
P. de Urteaga Petr. otii oſor, 395
P. Wegelin Balth. victima charitatis, 88
P. Wortingtoni Joan. fructus in carcere, - - 83
P. Woysza Stan. ope S. Stanislai ſanatus, - 88

X.

S. Xaverius Franc. urget expeditionem contra Acenos, 61. eandem turbatam iterum urget, 68. Epiſtola ejus ſevera, 90. alia, 94. 95. 105. Ad Socios Goanos, 148. Ad Præfectum Malacenſem, 150. Ad Jacobum Pe-

rei-

reiram 183. Ad P. Franc. Perez. 184. Monita S. Xaverii 173. urget excommunicationem 187. Certamen cum Bonziis 195. 199. Eſt præſens in duobus locis, 219. Refert victoriam Luſitanæ claſſis, 280. Thaumaturgus, 273. Imago Ejus tacta bis ſanat paralyticum 60. Ejus reliquiis tibia ſanatur, 330. Obediens poſt mortem, 180. Brachium ejus Romam vehitur, - - 142

P. Xaverius Martin. victima charitatis, - - 308

P. Ximenez Petr. zelator Domûs DEI - - 258

Notandum : Defunctorum pleroſque excerptos eſſe ex P. Nadaſi Anno dierum memorabilium; quibus ex Sotuelli Bibliotheca S. J. Tannero, &c: alii acceſſerunt.

# Finis Partis quartæ.

§ ( o ) §

BIBLIOTECA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google